

SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

DE SCHOLIORUM

LAURENTIANORUM AD SOPHOCLIS

VERBA RESTITUENDA USU.

PARTICULA I. ET II.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

SCRIPSIT

OTTO PAULI,

HAMBURGENSIS.

GOTTINGAE

EX OFFICINA ACADEMICA E. A. HUTH.

MDCCCLXV.

HERMANNO SAUPPIO

PRAECEPTORI.

Scholiorum Laurentianorum fontem principalem Didymum chalcenterum fuisse, non est quod post doctissima G. Wolffii et M. Schmidtii studia adhuc addubitari possit. Constat autem nobis scholiorum illorum fontem indagantibus in hoc non esse subsistendum, nam et certa argumenta et aliorum scholiorum comparatio eo nos ducunt, ut etiam alexandrinorum grammaticorum imprimis Aristarchi doctrinam etsi obtectam et velatam in Laurentianis scholiis inesse statuamus. Dubitari enim non potest, quin ubicunque in scholiis verba *οἱ ὑπομνηματισάμενοι*, *οἱ ἐξηγησάμενοι*, *οἱ παλαιοὶ* recurrunt, haec ipsa ad grammaticorum illorum commentaria Sophoclea spectent [1]). Omnium autem veterum commentatorum in nostris scholiis solus nomine affertur Praxiphanes in schol. ad. Oed. Col. v. 900; ad Aristarchi vero vestigia agnoscenda imprimis notae illae criticae nos ducunt, quae saepius in scholiis addita explicatione inveniuntur [2]), atque has quidem explicationes a Didymo profectas esse conlegi potest ex schol. ad Aiac. v. 83 in solo codice Flor. G. servato *Δίδυμος σημειοῦται τὴν φράσιν;* notas ipsas ipsi Aristarcho deberi probabilis est coniectura. Invenitur autem nota illa *τὸ X* tredecim tantum locis. O. C. v. 25, v, 43, v. 375, v. 1494, v. 1740. Ant. v. 735, v. 741, v. 1176 [3]).

---

1) gravissimum huius rei argumentum constat in schol. ad Ant. v. 45: *Δίδυμος δὲ φησὶν ὑπὸ τῶν ὑπομνηματιστῶν τὸν ἑξῆς στίχον νενοθεῦσθαι.*

2) cf. Schmidt Didymi fragmenta. Lipsiae 1854. p. 265. H. Schrader. De notatione critica a veteribus grammaticis in poetis scaenicis adhibita. Bonn 1863.

3) quem locum Schmidtius praetermisit, attulit autem Schraderus p. 28.

Trach. v. 402. Phil. v. 201, v. 342, v. 417; rarius etiam obelus, cuius certa vestigia tantum O. C. v. 237. Ant. v. 45. Ai. 841 reperiri possunt. Sed si illos locos, ubi scholia in alios poetas scaenicos notas criticas addita explicatione exhibent, cum nonnullis scholiis Sophocleis conferimus, non possumus, quin multo latiorem in Sophocle explicando notarum criticarum patuisse statuamus usum, quam scholia Laurentiana nobis monstrare videantur. Atque ita a Schmidtio multi loci conlecti sunt [1]) in quibus scholiastae explicatio eo nos ducit, ut his quoque versibus ab Aristarcho vel alio homine critico notam criticam appictam fuisse putemus; praetereaque mihi ex aliis locis, ubi *τὸ X* appictum est, constare videtur in scholio ad O. C. v. 1490 *ὅτι ἡ $\overline{\text{σφιν}}$ ἀντὶ τῆς $\overline{\text{οι}}$ ἀντωνυμίας κεῖται* verba *τὸ X* excidisse, cf. O. C. 1740 schol. ad Eurip. Med. v. 33 *P;* ita ut verisimile est in scholio ad Electr. v. 682: *οὔπω ἦν ἐπὶ Ὀρέστου ὁ Πυθικὸς ἀγών*, et Electr. v. 49: *τοῖς χρόνοις ἀνῆκται* excidisse verba *τὸ X ὅτι*, constat enim ex schol. ad Aristophanis Pac. v. 990 *τὸ X ὅτι οὐ συμφωνεῖ τοῖς χρόνοις* anachronismos a veteribus grammaticis hoc signo notatos esse. Aristarchi igitur aliorumque virorum criticorum commentariis usus est Didymus, de cuius studiis Sophocleis doctissime egit Schmidtius, probavitque Didymum conlectionem vocabulorum, quibus et comici et tragici poetae usi sint, instituisse, atque eadem conlectione usum esse Hesychium. Praeterea autem constat Didymum scripsisse hypomnema in Sophoclem atque et hoc et illo opere usum esse scholiorum Laurentianorum auctorem, ita ut ubicunque scholia cum Hesychii explicatione consentiant, dubium esse non possit, quin haec explicatio ipsi Didymo sit tribuenda. Novies tantum Didymus in scholiis nostris commemoratur, nam ad illos locos, quos Wolffius p. 12 affert, nunc accedit schol. ad Aiac. v. 83 in cod. Florent. G., sed maiorem scholiorum numerum ad hunc auctorem referendum esse pro certo constat, atque assentior illis hominibus doctis, qui verbo *τῷ ὑπομνήματι* semper

---

[1]) cf. Didymi fragmenta p. 263.

Didymi putant laudari commentarium. cf. schol. ad Ant. v. 523, v. 1326. El. v. 232, v. 451, v. 488 [1]).

Praeter Didymum autem alium fontem scholiis Laurentianis inesse ipsis scholiis luculenter, ut equidem opinor, demonstravit Wolffius, qualis autem ille fuerit, non quaesivit. Schmidtius vero nisus scholio ad Aiac. v. 408, ubi praeter Didymum Pius quidam grammaticus nominatur, hunc ipsum Pium alterum scholiorum fontem nominat, sed cum nesciamus, quis ille fuerit et quo tempore vixerit, hoc solo nomine non multum lucramur [2]); hoc tantum ab utroque, Wolffio et Schmidtio, recte sumitur alterum illum commentarii auctorem aetate non multum distare a Didymo.

Tales cum sint scholiorum Laurentianorum fontes, apparet, quantum eis tribuendum esset auctoritatis, nisi aliud accederet, quod eam quam maxime imminuere debet. Nam post illum scholiastam, qui Didymi commentariis usus scholia ad Sophoclem composuit, duo exstiterunt recentiores scholiastae, quorum vestigia in scholiis indagavit Wolffius argumentisque probavit. Sed ne haec quidem scholiorum copia, qualis fortasse II. vel III. saeculo p. Ch. exstitit, integra nobis servata est. Byzantini enim grammatici, qui maxime in excerpendis veterum grammaticorum scriptis operam navarunt, hoc scholiorum Sophocleorum corpus non intactum reliquerunt, sed scholarum fortasse in usum, quae sibi maximi momenti esse videbantur, excerpserunt atque in brevem quandam epitomen consarcinaverunt. Itaque si illam formam, qua nobis scholia in Sophoclem servata sunt, explicare volumus, necesse est statuamus, grammaticum aliquem omnia, quae ex veterum scholiorum copia suo tempore relicua erant, omniaque byzantinorum excerpta inter se coniunxisse vel addita particula *δὲ* et *οὖν*, vel praescripto *ἄλλως*; de suo autem nihil addidisse, quo in labore non

[1]) cf. quoque schol. ad Electr. v. 102 et Dindorfii verba in scholiorum editione. Tom II. p. 118 et 121.

[2]) accedit, quod ex loco allato vix concludi potest, Pium commentarium ad Sophoclis tragoedias scripsisse.

raro magna inscientiae suae dedit documenta; qua de re accuratius egit Wolffius §. 2. Hanc autem scholiorum farraginem, eadem forma qua nos utimur, etsi fortasse nonnullis vitiis, quae librariis debentur, liberam adhibuit Suidas in lexico suo conscribendo, nam saepissime verbotenus cum scholiis nostris congruit.

In universum autem scholia, quae vetera dicuntur, a commentis byzantinorum grammaticorum libera sunt, maximeque ea, quae in codice Laurentiano nobis servata sunt, nam ea scholia, quae in codice Florentino G. ad Sophoclis Oedipodem regem, Aiacem, Philoctetam, Electram exstant, neque ex Laurentiano exscripta sunt, cum nonnumquam meliores praebeant lectiones et nonnulla scholia praesertim ad Aiacem integriora exhibeant, quam Laurentianus, a byzantinis additamentis non libera sunt, quod maxime probant illa commenta, quae aut Tzetzae nomen prae se ferunt, cf. schol. ad O. R. v. 264, aut stulto et inepto argumento recentem suam originem demonstrant.

Accedit, quod scholia librariorum stultitia aut neglegentia haud parvum in modum corrupta sunt; quod optime apparet ex illis, quae Didymo tribuuntur [1], quibus vix coniectura erui potest, quid vetus ille homo criticus statuerit. Talis cum sit scholiorum conditio, apparet nos recte antea iudicasse, non tantam eis tribuendam esse auctoritatem, quantam Didymi nomen suo iure sibi vindicare posset. Nihilo tamen minus scholia illa semper ab hominibus doctis magni habita sunt; continent enim, si nonnulla commenta de origine verborum, nonnullas falsas explicationes mittimus, tantam doctrinae copiam ex veterum grammaticorum aliorumque scriptorum commentariis et operibus haustam, quae ad explicanda poetae verba maximo usui sunt, et iudicia nonnulla perbona de poetae arte, de personarum partibus et quae sunt similia, ita ut qui Sophoclem interpretantur vix ea neglegere possint.

Alia autem existit quaestio, num scholia ad Sophoclis

---

[1] cf. schol. ad Ant. v. 722. Aiac. v. 1225.

verba, quae non raro in codicibus corrupta nobis tradita sunt, restituenda magnum praebeant fructum, qua de re diversae a nostri temporis viris criticis prolatae sunt sententiae. Atque veteriores Sophoclis editores vulgatam lectionem utcunque explicare conantes, hunc in usum scholia non adhibuisse, per se patet; primi autem, qui, ut illos homines doctos, qui data occasione ad unum alterumve Sophoclis locum emendationem aliquam ex scholiis haustam, velut est Scaligeri ad O. C. v. 785, protulerunt, omittam; primi igitur, qui scholiis ad rem criticam faciendam usi sunt, Brunckius et imprimis G. Hermannus exstiterunt, et post hos omnes fere editores hanc vel illam emendationem ex scholiis haurire posse sibi visi sunt. Jam vero opus erat viro, qui omnem illam variarum lectionum copiam, quae aut in scholiis prolatae sunt aut in scholiastarum explicationibus latere videntur, accurate examinaret, atque ita de scholiorum auctoritate diiudicaret. Alteram huius operis partem in se suscepit Ed. Wunderus in programmate: „De scholiorum in Sophoclis tragoedias auctoritate“ inscripto, quod prodiit Grimae 1838, qui omnes varias lectiones aperte in scholiis commemoratas aut addita aut non addita sigla γϱ. conlegit atque examinavit. Quo opere ad hanc quaestionem solvendam multum adiuvit vir doctissimus, praesertim cum cognosset haud parvam variarum lectionum partem non re vera varias esse lectiones, sed explicationes, quibus librariorum inscientia siglam γϱ. addidisset. Cum autem scholiastarum interpretationes omnino neglegeret et nonnumquam in iudicio suo de variis lectionibus erraret, imprimis nonnullis glossis apertis variarum lectionum auctoritatem vindicare studeret, iterum ad hoc opus aggressus est G. Wolffius, qui totam hanc quaestionem amplexus illas quoque varias lectiones, quae in scholiastae interpretatione latere videntur, pensitavit. Scripsit enim vir doctissimus librum: de Sophoclis scholiorum Laurentianorum variis lectionibus, Lipsiae 1843; atque priore parte huius libri dixit de scholiorum auctoritate, quam partem antea nonnumquam laudavimus, in posteriore de variis lectionibus, primum eos locos, ubi

scholia emendationem aliquam praebent, componens, tum illos ubi scholiis vulgata lectio ab hominibus doctis impugnata defenditur, tertio loco ubi de scholiorum lectione non liquet, quarto ubi falsam habent lectionem, denique ubi et falsam et rectam simul servarunt. Ex quo sequitur hanc quaestionem a viro doctissimo in omnes partes accuratissime esse examinatam, ita ut eam fortasse hoc libro omnino solutam esse existimes. Qua re mirum videri posset, me post egregium Wolffii opus denuo ad hanc quaestionem decernendam accedere, atque ne plane supervacaneum opus in me suscepisse videar, eas proferam causas, quae me ad hoc consilium commoverint. Primum igitur illa ipsa res, quod paucae tantum coniecturae, quas Wolffius scholiorum auctoritate commendare studuit, ab editoribus Sophoclis probatae sunt et in textum receptae, suspicionem movere potest, virum doctissimum non semper rectam iniisse viam; accedit quod Wolffius ipse in Aiacis et Electrae editione [1]) complures earum coniecturarum, quas in libro de scholiis fecit, aut disertis verbis retraxit, aut silentio praetermisit, qua ex re sequitur eum nunc de illis locis aliter iudicare. Altera causa constat in ipsa compositione, qua Wolffius suo in libro usus est, singulos enim locos, quos scholiorum auxilio emendari posse putavit, eo ordine composuit, quo in tragoediis ipsis leguntur, qua quidem re illud lucramur, quod singuli loci multo facilius inveniri possunt; de singulis autem emendationum generibus eorumque fontibus certum iudicium ex Wolffii libro nobis comparare non possumus. Cum denique novissimis temporibus codex Laurentianus Duebneri opera in usum G. Dindorffii accuratissime conlatus sit, et quod ad rem criticam faciendam vel maximi momenti est, inter diversas manus, quae hunc codicem exararunt, discretum sit; multo accuratius nunc de ipso textu, de variis lectionibus adscriptis, de scholiis iudicare possumus, quam ante hos viginti annos licuit. Atque hac conlatione apparuit nonnullis locis veram lectionem non, quod Wolffius putavit, solis

---

1) Lipsiae apud B. G. Teubnerum. 1858 et 1863.

scholiis deberi sed codicis quoque frui auctoritate. cf. Phil. v. 893. Wolffius p. 80.

Accedit, quod post Wolffium omnes fere editores et interpretes Sophoclis corrupta verba scholiorum auxilio emendare studuerunt, atque haud raro ex uno eodemque scholio diversissimas eruerunt coniecturas, quae omnes scholiastae auctoritatem sibi vindicant. Has omnes coniecturas quantum in tanta copia hominum doctorum, qui Sophocli operam navant, fieri potuit conlegi et suo loco postea tractabo.

Ultimus de scholiorum ad Sophoclis verba restituenda usu scripsit G. Dindorfius in praef. edit. III. Oxoniensis 1860. I. p. XV. ubi haec leguntur: „Scholia ipsa partim ex „grammaticorum alexandrinorum commentariis derivata, par„tim ab inferiorum temporum grammaticis scripta, plurima „continent ad interpretationem verborum utilissima, ad emen„danda vero codicis vitia exiguum est quod conferant, quum „ad huius modi locos in scholiis plerumque vel nihil anno„tatum sit, vel lectiones vitiosae interpretum commentis ut„cunque explicentur interdum perabsurdis. Itaque non mi„randum est perpaucorum tantum locorum emendationes „easque plerumque levissimas ex scholiis illis peti potuisse, „quarum index hic est.“ Secuntur loci 33; quibus Dindorfius ipse addidit Trach. v. 816 (vol. VIII. p. 208). Nauckius in censura editionis Dindorfianae (Annal. phil. 1862 p. 172) ex textu Dindorfii: O. C. vv. 99. 336. 879. Ant. vv. 18. 242. 320. 557. 600. Aiac. vv. 122. 672. Tr. vv. 53. 1021. 1275. Ph. v. 582; sed ut Dindorfium hi loci fugerunt, alii fugerunt Nauckium, nam etiam Ant. v. 108. v. 587. Tr. v. 894. Phil. v. 515 coniecturam, quae scholiorum auctoritate nititur, in textum recepit. 52 igitur habemus locos, quibus ex scholiis medela afferri potest, numerum haud spernendum, sed tamen recte iudicasset Dindorfius de scholiorum auctoritate, nisi alii accederent loci, in quibus ea lectio, quae scholiis traditur aut explicatur, codicis scripturae praeferenda sit. Alios locos Nauckius l. l. attulit, de quibus postea dicendum erit.

Quaestionem de scholiorum Laurentianorum auctoritate,

qua eos tantum tractabo locos, quibus codex aliam atque deteriorem praebet lectionem, quam scholiastae legerunt aut legisse videntur, ita iustituam, ut primum examinem, quid de variis lectionibus in codice sigla γρ. adscriptis statuendum sit, tum illos afferam locos, qui ex scholiastis ipsa poetae verba afferentibus emendari possint; denique illos, quibus scholiastae interpretatio ad aliam eamque meliorem lectionem pertinere videatur. Qua in re multum me adiuvat, quod Wolffius de multis locis, quos tractaturus sum, suo in libro dixit, itaque satis erit, si ubi cum Wolffio consentio, ad hunc delegabo lectorem.

Antequam autem ad ipsam quaestionem accedam, necesse est paucis perfungar, quae dicenda sunt de codicibus, quibus scholia vetera nobis sunt tradita.

Codicem Florentinum G. iam antea vidimus scholia exhibere non ex Laurentiano descripta et interdum integriora; reliqui autem codices, qui scholia continent, aut non omnia, sed excerpta tantum, aut tam corrupta praebent, ut ad illos non confugiendum sit. Quare relicum est, ut de codicis Laurentiani, in quo omnia artis criticae fundamenta iacere videntur, indole atque natura pauca dicam.

Scriptus igitur est hic codex optimus saeculo XI. a librario indocto, qui postquam totum exaravit codicem, iterum eum cum archetypo contulit, versus nonnullos, quos omiserat, in margine adscripsit, plura vitia correxit; atque haec prima manus, ut par est, maximam habet auctoritatem. Post hunc, sed eodem saeculo, alius librarius margini adscripsit scholia vetera et nonnullas varias lectiones aut addita aut omissa sigla γρ. vel inter versus vel in margine. Haec est manus secunda, quam Dindorfius non librario alicui sed homini critico tribuit, ideoque illum διορθωτὴν appellavit. Praeter has aliae manus et antiquiores et recentiores in codice discernuntur, quae interdum textum mutarunt, et varias lectiones adscripserunt.

I.

Talis cum sit codicis Laurentiani natura, per se patet, quam viam ad cognoscendam variarum lectionum auctoritatem nos ingredi oporteat; primum enim eae examinandae sunt variae lectiones, quae post librarii illius, qui scholia exaravit, tempora margini codicis adscriptae sunt, tum ad illas transibimus, quae huic ipsi librario, vel, ut Dindorfius putat διορθωτῇ debentur, denique eas tractabimus, quae veterum grammaticorum auctoritate munitae sunt.

1.

Ut igitur statim ad eas varias lectiones accedamus, quae posteriore tempore, quam scholia adscriptae sunt, et quibus, ut patet, nulla scholiastarum auctoritas accedit; primum monendum est, diversis eas deberi manibus, quae non ubique inter se dignosci possunt. Discernit Dindorfius quidem in praefatione inter manum antiquam, aliam antiquam, recentem, recentissimam; sed in lectionibus codicis Laurentiani alias quoque commemorat, quales sunt manus valde antiqua, paullo recentior, manus saeculi XIII. XIV. XV. XVI. Talis cum sit multitudo diversarum manuum, apparet, quam difficile sit, certi aliquid de singularum auctoritate proferri; attamen, quanti momenti hoc sit ad rem criticam exercendam facile intellegitur. Dindorfii [1]) autem sententia de illis manibus haec est: „Post hunc librarium

---

[1]) cf. praef. p. V.

„seculis proximis, ut videtur, duobus tres alii codicem invaserunt correctores, quorum manus nec distingui ubique „possunt, nec, si possent, ullius momenti foret, quum eorum „correctiones ita omnes paratae sunt, ut neque archetypum „codicis exemplar neque alios libros antiquiores ab iis inspectos esse, sed omnia coniecturis, modo veris modo fal„sis, deberi pateat, quod manifestius etiam est in recentium „aliquot usque ad seculum sextum decimum librariorum vel „lectorum correctionibus, quarum paucas ipsorum coniectu„ris deberi, plerasque ex interpolatis codicis Laurentiani „apographis haustas esse, certissimum haberi potest.“ Hanc sententiam si amplectimur, ex omnibus angustiis liberati sumus, attamen, nos tam facili opera hanc quaestionem absolvere posse non puto, et quam maxime vereor, ut prorsus verum iudicium de illarum manuum annotationibus protulerit vir doctissimus. Et quamquam numerus earum variarum lectionum, quae ad hoc caput pertinent, non per magnus est, sunt enim fere viginti, tamen necesse est paullo accuratius in hanc rem inquirere, ut diiudicare possimus, utrum illae coniecturis an libris antiquioribus debeantur. Contra Dindorfii sententiam disputavit Kričala [1]), qui omnes illas mutationes ex libris Laurentiano praestantioribus haustas esse contendit, atque hanc suam sententiam nonnullis exemplis ex Electra fabula desumptis munire studet. Ante omnia hoc tenendum esse videtur, non unum recentiorem, alterum antiquiorem adesse correctorem, sed complures, qui inter se confundi non possint, et cum veri simile sit, hunc in notandis variis lectionibus alius codicis vestigia secutum esse, quid obstat, quin putemus alterum ex suo ingenio textum emendasse suasque margini adscripsisse coniecturas. Falsissimum igitur esset, si ex nonnullis locis, ubi recentior librarius correctiones suas ex libro aliquo hausisse videtur, concludere vellemus, omnes illas mutationes codicibus, et cum nonnullae praeferendae sint scripturis codicis Lauren-

[1]) Beiträge zur Erklärung und Kritik des Sophokles. Wien 1864. p. 12.

tiani, melioribus codicibus, quam Laurentianus est, deberi. Fortasse omnibus locis, qui ab illis manibus mutati sunt, conlectis atque accurate examinatis, utrum coniecturae an codici debeantur, de singularum manuum auctoritate aliquid statui potest. Quam quaestionem nunc instituere non possumus, ne in rebus secundariis iusto diutius commorantes, primarias neglegere videamur, quare nunc pauca tantum afferam.

Ac primum quidem de una manu recenti recte iudicasse Dindorfium constat, nam nonnullae mutationes aperte ex apographis haustae sunt. Sic in apographis Trach. v. 631 pro vera scriptura Laurentiani *πρῴ* a correctore huius usus ignaro scriptum est *πρὶν*, quod verbum manus XV. saeculi in Laurentiano annotavit, eadem fortasse manus ex uno apographo, in quo librarius vitiosam codicis scripturam *καὶ* in *κοὐ* correxerat, Trach. v. 747, hanc scripturam in margine Laur. adscripsit [1]). Eodem modo etsi non dicam ab eadem manu in Laurentianum venit varia lectio ad Electr. v. 947 *γρ. τελεῖν* a. m. recentissima, quae in omnibus apographis excepto Florent. G. legitur, cum Laur. rectam scripturam *ποιεῖν* exhibeat; atque idem dicendum est de *γρ. βουλοίμην βραχύ* a. m. recentissima ad Electr. v. 1304 adscripta, quo loco Laur. corruptam habet scripturam *λεξαίμην*, quae in solo apographo Palatino correcta est in *δεξαίμην* cum cetera apographa haud dubie ex coniectura *βουλοίμην* praebeant. Atque eadem fortasse manus recens ad O. R. v. 722 adscripsit *γρ. παθεῖν*, quam scripturam sumsit ex apographis, in quibus vitiosa codicis lectio, quae, ut recte Dindorfius coniecit, errore librarii ad versum 713 aberrantis orta est, rectissime in *παθεῖν* mutata est.

---

[1]) similes loci sunt; O. R. v. 1111 *πρέσβει* erasa una post *ι* litera. *πρέσβυν* man. recentissima, quod est in apographis. Ai. v. 74 *σφ'* a man. recentissima insertum habent apographa. Ai. v. 222
π
αἰθο . . νος π a m. recentissima, *αἴθοπος* est in apographis. Ai. v. 495
ἐ
ἐφεὶς α. a m. recentissima, apographa pleraque *ἀφείς*.

Alius autem grammaticus recens nullis libris usus ex suo arbitrio textum mutavit suasque coniectures margini adscripsit, ad quem referendum est, in fallor, quod O. R. v. 60 rectae codicis scripturae *νοσοῦντες* super scriptum est · a manu recentissima *νοσούντων*, quae mutatio haud dubie correctori debetur in rariore structura offendenti et propter sequens *ὑμῶν* scribenti *νοσούντων*. Eodem modo v. 261 rarior dativus *κείνῳ*, qui est in codice, a manu recenti in vulgarem genetivum *κείνου* est mutatus, neque dubitandum videtur, quin quod v. 1459 legitur *ἀρρένων* a manu recentissima ex *ἀρσένων* factum, coniecturae debeatur.

Idem fortasse valet de O. C. v. 166; ubi codicis scriptura metro adversatur, et quod superscripsit manus recens: *οἴσεις* vix codicis auctoritate fruitur [1]). Atque apparet lectionem *ἀπείρξω* Ai. v. 51 „a manu rec. XIV.“ coniecturam esse grammatici in praesenti *ἀπείργω*, etsi nulla idonea
ξω
causa, offendentis cf. Ai. v. 10 *ἀπείργω* „*ξω* a m. recentissima“ [2]).

---

[1]) Quare eis assentior hominibus doctis, qui cum Reisigio scribi voluerunt *ἴσχεις*, haec enim verba saepius in codice permutata sunt. cf. Phil. v. 853 *ἔχεις* pr. *ἴσχεις*. S. cf. praeterea quae Meinekius ad. l. c. dicit.

[2]) Alios addam locos, quos in promptu habeo, cf. O. R. v. 305 *κλύῃς* pr. *κλύεις* recte m. ant. *ἔκλυες* m. rec.; qui hoc scripsit propter *ἀντέπεμψεν*, quod sequitur, desideravit imperfectum. O. R. v. 591 *ἦρχων* pr. *ἦρχων* m. rec. v. 866 *οὐρανίαν* (*ας*) — *αἰθέρα* (*ος*), *ας* — *ος* a m. rec. v. 948 falso a m. rec. optativus *κτάνοι* in *κτάνῃ* mutatus est, recte autem v. 1011 *ἐξέλθοι* in *ἐξέλθῃ*. v. 1250 *ἄνδρα* pr. *ἄνδρας* rec. v. 1518 *ἀπ᾽ οἴκων* (*ου*), *ου* a m. recent. Ai. v. 80 *ἐς δόμους* pr. superscriptum a m. saec. XIV. *ἐν δόμοις*, quod haud dubie coniectura est etsi perbona, cum codicis scriptura vix exemplis probari possit et scholiastae auctoritas, quae fraudem fecit Lobeckio nulla sit. Quod enim in scholiis editionis Romanae legitur *ποιητικῶς ἀντὶ τοῦ ἐν δόμοις* ab ipso editore ex Laur. scriptura *ἐς δόμους* (*ἐν* — *οις*) confectum videtur. Ai. v. 1120 *σμικρον* (*α*), *α* a m. rec. cf. Ai. v. 1081. v. 1160.

Nonnullae quoque variae lectiones cum sigla γρ. in margine adscriptae a manu rec. coniecturae deberi videntur, cf. O. R. v. 229. ἀσφαλής pr. γρ. ἀβλαβής a m. rec., quae voces librarii errore inter se commutari non potuerunt, quare necesse est statuamus grammaticum aliquem in voce ἀσφαλής haesisse et, quod sibi magis placuisset, ἀβλαβής adscripsisse. Atque haec Dindorfii videtur esse sententia, cui equidem assentior, quamquam non negaverim aliam quoque excogitari posse viam, qua haec varia lectio oriri potuerit [1]). Nulla autem est dubitatio, quin γρ. ἕδρας ad Ai. v. 880: ἄγρας, in quo verbo et codex et scholia consentiunt, grammatici alicuius coniecturae debeatur.

Sed aliae exstant manus recentes, quibus haud dubie codices nunc deperditi praesto erant, quod igitur de omnibus contendit Kvičala de parte tantum valet. Non opus est multa exempla congerere, cum nonnulla apud Kvičalam invenias, alia facili opera ex Dindorfii editione cognoscere possis. Leguntur in codice versus nonnulli a recenti manu additi, qui non possunt ab illis, qui eos adscripserunt, esse confecti, nam eidem librarii aliis locis tantam ostendunt stultitiam, ut haec eis prorsus abiudicanda sit facultas. Tales versus sunt O. R. v. 800. El. v. 1485 et 86. de quibus haec dixit Dindorfius: „hi duo versus in „margine scripti sunt ab alia manu paullo recentiore in li„tura duorum versuum, qui haud dubie iidem versus fuerunt „sive a manu pr. sive ab S. scripti sed fortasse literis cxi„lioribus, ut alii versus plures in margine suppleti, quod „ipsum quoque movere potuit librarium ut illos denuo scri„beret.“ Atque hanc imprimis ob causam eiecit versus vir doctissimus, quod num recte fecerit, maximo opere dubito, nam ea ipsa res, quod hi versus iam antea vel a pr. m. vel ab S. additi erant, eum monere debuit, illos non a librario esse confectos; quod autem ad nostram attinet quaestionem ex hoc loco luculentissime patet, recentem illum librarium alium ad manus habuissc codicem, ex quo lectionum discre-

[1]) cf. p. 20.

pantiam in margine adscripserit. Si praeterea alio opus esset argumento, afferri posset, quod manus recens haud raro verbum aliquod adscripsit, quod ex coniectura addere non potuit [1]), aut mutavit, quod nullam offensionem praebuit [2]). Denique afferam Trach. v. 380: *οὖσα* ^γ^*ένεσιν* ^σ^ *γ* . . . *σ* a m. rec. Hanc mutationem non ex coniectura factam esse a librario optime demonstrat super scriptum *σ*, nam *οὖσα γένεσισ* absurdum esset, quare sequitur hanc partim falsam, partim rectam mutationem codici deberi. Idem probat O. R. v. 42. quo loco a m. pr. haec exstant *ἀλκήν τιν' ἡμῖν εὑρεῖν*, quod correxit manus recens in *εὑρεῖν ἡμῖν* (*ἡμὶν* scribendum est) nullo pacto ex coniectura, nam nulla librario aderat mutandi causa [3]).

Quare non dubitandum est, quin haec recens manus nobis lectiones alius vel aliorum codicum nunc deperditorum servaverit. Ad hoc autem genus ex variis lectionibus cum sigla *γρ.* referam: O. R. v. 631 *κειρίαν* pr., ut videtur, *κύριαν* al. m. ant. *γρ. καιρίαν· ἤγουν κατὰ καιρόν* m. recent., una igitur cum varia lectione transcripsit librarius ex codice conlato grammatici explicationem, et summo iure haec in textum recepta est scriptura. Recipienda quoque est varia lectio *γρ. σύ γ'* ad O. R. v. 445 . . . *γ'* pr. elutis duabus literis, adscripta, sicut *ἐχθαρῆι* ad Ant. v. 93 adscripta, ubi codex a pr. m. *ἐχθρανῆι* habet. Quas lectiones certissime non excogitaverunt librarii, qui eas adscripserunt. Atque idem constat de *γρ. ἐξέπραξεν* ad Ai. v. 45; ubi Laur. et nonnulla apographa habent *ἐξεπράξατ'*, illam autem scripturam iam Eustathius in suo exemplari repperit [4]), haud

---

1) cf. Ant. v. 1310 *φεῦ φεῦ* addidit man. rec.
El. v. 359 *οὖν* a man. rec. additum.
El. v. 1234 *γοναὶ* addidit man. rec.

2) cf. O. R. v. 652 *οὔτε* pr. *οὔποτε* m. rec.
Ai. v. 488 *τίνος* ^ες^ *ες* a m. rec. XIV.

3) cf. El. v. 809 *φρενὸς οἴχηι* pr.; *οἴχηι φρενὸς* mutavit m. rec.

4) cf. Eustath. p. 571. 10. p. 1564, 20; et Thom. M. p. 269.

dubie igitur quae eam adscripsit manus XIII. saeculi, ut videtur, non suam adscripsit coniecturam [1]). His subiungam Ai. v. 1141, ubi recte a pr. m. legitur: ἀλλ' ἀντακούσει, sed additum est γρ. σὺ δ' ἀντακούσει, quod certissime non coniecturae debetur, nam quid opus erat in loco tam plano ac perspicuo coniectura? Recipienda autem est lectio, quam manus XV. saeculi ad Ai. v. 1011 adscripsit γρ. ἥδιον, ubi in codice legitur ἵλεων, quod haud dubie ex v. 1009 in nostrum locum irrepsit. Magnam porro auctoritatem sibi vindicare potest. γρ. ἔωη a m. XIII. vel XIV. saeculi ad Phil. v. 444, ubi prima scripsit ἔων, et hanc falsam, illam unice veram esse ab omnibus editoribus sumitur. Debetur autem codici conlato γρ. καὶ σύ που φίλων a m. recent. in El. v. 948, ubi Laur. habet καὶ ποῦ σοι φίλων, quae corrupta lectio a recentiore scholiasta explicatur: ἤγουν καὶ πόθεν σοι ἔσονται φίλοι [2]). Ab eadem fortasse manu recenti scripta est varia lectio ad El. v. 985, ubi codex μὴ 'κλιπεῖν recte praebet, nonnulla autem apographa μὴ λιπεῖν, recens manus adscripsit γρ. μοὶ λιπεῖν certissime non ex coniectura. Quam accuratus ne dicam stultus librarius sese praestiterit in lectionibus transcribendis optime demonstrat. El. v. 1275 ubi Laur. in textu πολυστωνοῖδ' ἰδὼν habet, recens manus adscripsit γρ. ὡδ' ἰ 'δών.

Potest quidem recte iudicasse Kvičala librarios siglam γρ. non de suo addidisse, sed iam in eo codice, quem contulerunt, invenisse, nullam autem video causam, cur librariis cognitionem usitatissimae notae, qua in libris variae lectiones notantur, abiudicemus; et librarius, qui ad Ai. v. 467, ubi codex ἔρυμα habet, adscripsit γρ. πολύχνιον, certissime siglam illam de suo addidit, nam patet in conlato co-

---

1) Wolffius p. 176 activum defendit, Dindorfius conlata Hesychii glossa ἐξεπράξατο : ἐφόνευσεν medium praetulit. Contra Schneidewini coniecturam κἂν ἐξέπραξ' ἂν, cf. quae Elmsleius scripsit ad Eurip. Med. p. 150.

2) cf. schol. ad O. R. v. 631 γρ. καιρίαν· ἤγουν κατὰ καιρόν. p. 19.

dice ad *ἔρυμα* adscriptam fuisse glossam *πολύχνιον* sive *πολίχνιον*, quam stultus ille homo pro varia lectione habuit atque in Laur. cum *γρ.* transcripsit.

Et coniciat fortasse aliquis variam lectionem, de qua supra [1]) diximus *γρ. ἀβλαβής* (O. R. 229), simili modo ortam esse ex glossa *ἀβλαβής* ad *ἀσφαλής* adscripta. Videmus igitur ex hoc variarum lectionum, quae bonorum codicum auctoritate frui videntur, numero sex locos posse emendari O. R. v. 445, v. 631. Ant. v. 93. Ai. v. 1011. Phil. v. 444. El. v. 948 et de omnibus a recenti manu factis mutationibus vix certum aliquod proferri posse iudicium.

Non tam difficilis est quaestio de variis lectionibus ab antiquis manibus adscriptis, quas omnes coniecturae deberi Dindorfius putat. Contra hanc sententiam disputavit Kvičala e contrario omnes libris deberi contendeus, quod iudicium non prorsus verum esse videtur, nonnullis enim locis valde dubium est iudicium, utrum e libris an e coniectura ortae sint mutationes, illos dico locos ubi manus antiqua literam *σ* vel *ν*, quae neglegentia omissa erat, apposuit aliasque eiusmodi leves correctiones [2]). Coniecturae porro debetur, ni fallor, mutatio in O. R. v. 433 facta, ubi nunc
ν
recte legitur *ἤδη* et Laur. habet *ἤιδει* „*ν*, a manu antiqua“ (cf. Ant. v. 18), et v. 1028 *ἐπεστάτουν*, quod ex *ἐπιστάτουν* factum est [3]). Atque ita *γρ. τότ᾽ ἐννέπω* ad El. v. 676 *πάλαι λέγω*, quod Dindorfius „non S. sed manui aliquanto

---

[1]) cf. p. 17.

[2]) cf. El. v. 1428 *λείσσω* alterum *σ* ab al. m. ant. O. R. 591 *ἦρχων* pr. *ἦρχω* m. sec. v. 622 *ἤ* a m. aut. factum ex *ἦ*. v. 659 *φυγεῖν* pr. *φυγὴν* m. ant. v. 696 *δ᾽* pr. *τ᾽* a m. ant. v. 1275 *δε* pr. *τε* a m. ant. Ant. v. 44 *εἰ* pr. *ἦ* ab alia m. ant. v. 63 *κρειττόνων*, sed super scripto *σσ* ab al. m. ant. v. 735 *τοδ᾽* pr. *ο* a m. ant. in
ν *σ*
α mutatam. v. 1226 *στυγὸν ν* a m. ant. Trach. v. 1216 *πρόνεῖμαι* accentu supra *ο* et *σ* a m. ant. additis.

σὺν
[3]) cf. praeterea O. C. v. 458 *πρὸσταῖσι, σὺν* ab al. m. ant. Ant. v. 765 *μαίνηισ* pr. *μένεισ* a m. ant.

recentiori" tribuit, quare illud sicut O. C. v. 204 et 205 inter varias lectiones antiquioris manus retuli, librarii errore ex codicis scriptura vix oriri potuit, quare non dubito, quin a grammatico in usu verbi πάλαι de rebus modo factis offendente inventum sit. Fortasse coniecturae quoque tribuenda est varia lectio ad Trach. v. 497 μέγα τι σθένος ἁ adscripta: γρ. μέγα τι σθένουσα, nam librarius σθένοσα legens merito in hoc vacabulo offendit atque mutavit σθένουσα, non animadvertens α articulum esse et ad Κύπρις pertinere.

Multo maior autem pars mutationum ab antiquioribus manibus factarum certissime ex aliis codicibus hausta est, quod imprimis demonstrant versus additi: O. C. v. 1256 „serius in margine additus" et El. v. 1498 et 99 „ab alia „manu antiqua in ipso textu scripti sunt erasis duobus, quos „prima manus scripserat, versibus, quos eosdem fuisse ex „syllaba οσ, quae de primae manus scriptura superest, in„tellegitur." At prorsus ineptiisset librarius, si versus, quos in Laur. legit ob eam tantum causam erasisset, ut illos de novo scribere posset; quare non dubium esse potest, quin librarius in codice a se conlato aliam versuum scripturam invenerit, quam litura facta in ipso textu scripserit, neque syllaba οσ a pr. m. scripta huic contradicit sententiae, hanc enim non erasit, ne eaedem literae bis sibi scribendae essent. Praeterea autem argumento sunt, permulta verba a m. ant. addita, quae prima manus aut omisit aut in codice suo non reperit. cf. O. R. v. 166: καὶ in margine a m. ant.; v. 349 εἶναι a m. ant. additum; v. 1330 τελῶν addidit m. ant. [1]) et verba inverso ordine conlocata Phil. v. 859 ἀλεὴσ (β') ἐσθλὸσ (α') ὕπνοσ, literae β' et α' ab S. vel alia manu antiquiore.

Omnem denique dubitationem lollunt loci, quibus ea

---

[1]) cf. praeterea O. C. v. 744 ἀλγῶ inter versus ab al. m. ant. Ant. v. 507 δρᾶν a m. antiquissima additum. Ai. v. 518 ἂν insertum a m. ant. v. 706 ἔλυσε γὰρ a m. ant.

lectio, quam manus antiqua adscripsit, iam in scholiis commemoratur, ut O. C. v. 1220 ἔπι κόρος a m. sec. cf. schol. οἷον οὐδὲ ἔπεστιν αὐτοῖς κόρος, et El. v. 174 ἔστι a. m. ant. cf. schol. ad El. v. 823, ubi haec verba sic afferuntur: θάρσει· ἔστι μέγας ἐν οὐράνῳ Ζεύς; et permultae mutationes, quae librariorum stultitiam satis superque docent [1]). Quare has lectiones cum sigla γρ. adscriptas ex antiquioribus libris haustas esse puto: O. C. v. 204 τίσ σ' ἔφυ pr. adscripsit m. paullo recentior quam S. γρ. τίσ ἔφυς atque hoc summo iure ab omnibus editoribus praefertur, exspectamus enim chorum primo loco ex Oedipo quaesiturum esse, quis ipse sit, non autem quis pater. Atque eadem manus ad v. 208 τίς ὢν πολύπονος, quae lectio in scholiis explicatur, adscripsit γρ. τίς ὁ πολύπονος, quae scriptura eodem iure praefertur. Eadem codicum auctoritate frui videntur atque suo iure praeferuntur Laur. scripturis: Trach. v. 731 χρόνον pr. γρ. λόγον [2]) a m. ant. El. v. χέροιν pr. γρ. χέρσι a m. ant. Hae igitur quattuor emendationes ex variis lectionibus ab antiquioribus manibus adscriptis hauriri possunt.

Hac quaestione ad finem perducta liceat pauca tantum afferre quae mihi omnem lectionum discrepantiam a manibus antiquis et recentibus adscriptam examinanti in mentem venerunt. Offendere enim potest, quam dispares sint numeri mutationum in singulis fabulis; ad aliam enim perpaucae tantum adscriptae sunt, cum alia plurimas contineat. Numerus autem mutationum a manibus recentioribus factarum per singulas fabulas sic sese habet:

O. R. : 60.	O. C. : 14.	Ant. : 12.	Tr. : 14.
Ai. : 76.	Ph. : 5.		
El. : 53.			

---

[1]) cf. Kvičala p. 14.

[2]) hanc variam lectionem confirmat scholiastae auctoritas, qui ad v. 733 (ap. Elmsl.) haec habet πρέπει σοι λοιπὸν σιωπᾷν καὶ μηκέτι περὶ τούτων πλείω λέγειν.

earum quae antiquioribus debentur manibus:

O. R. : 65. O. C. : 23. Ant. : 23. Tr. : 8.
Ai. : 26. Ph. : 11.
El. : 44.

Qui numeri aperte docent plerasque mutationes factas esse in fabulis: Oedipode rege, Aiace, Electra, et cum sciamus has fabulas a grammaticis byzantinis prae ceteris et fere solas explicatas esse, suspicor omnem illam multitudinem variarum lectionum a recenti manu adscriptarum, exceptis nonnullis exemplis, de quibus antea dictum est [1]), ex libris recentiorum byzantinorum grammaticorum haustam esse, qui libri certissime interpolati erant et grammaticorum illorum commentis repleti. Quod si statuimus, intellegimus, quo modo factum sit, ut inter illas mutationes et praeclarissimae lectiones et ineptissimae coniecturae inveniantur; accedit, quod glossae, quae a librariis pro variis lectionibus habitae sunt, ut Ai. v. 564 *ὡς τήλουρος* a m. rec. et Ai. v. 467 *γρ. πολύχνιον* et explicationes variis lectionibus adscriptae: O. R. v. 631 *γρ. καιρίαν· ἤγουν κατὰ καιρόν*, quae byzantinorum ostendunt sapientiam, huic sententiae quam maxime favent. De antiquiorum manuum mutationibus idem non pro certo dixerim, quamquam nonnullas quoque illis libris deberi probabiliter aliquis coniciat.

2.

Alia manus est, quam Dindorfius *διορθωτῇ* tribuit et litera S. significavit. Adhuc autem non constat iudicium de auctoritate lectionum a S. adscriptarum; Dindorfius ita iudicat [2]). „Is Sophocli eandem quam Aeschylo operam „praestitit. Nam quattuordecim has tragoedias non solum, „cum archetypo rursus contulit — de quo omnem dubita- „tionem eximunt versus plures et Sophoclis et Aeschyli a

1) cf. p. 15.
2) cf. praef. p. V.

„primo librario omissi sed ab διορθωτῇ in margine adiecti „— sed etiam, quum multo quam prior librarius oculatior „et peritior esset, plurima scribendi vitia correxit, inter quas „correctiones etsi fortasse plures sunt, quas archetypo ac„curatius, quam a primo librario factum erat, inspecto „debeat, longe maior tamen earum numerus est, quas ex „coniectura factas esse certissimis constat indiciis“ et. q. sec.

Quo in iudicio errasse virum doctissimum multis argumentis demonstrari potest. Iam Nauckius in censura editionis Dindorfianae [1]) contra hanc sententiam rectissime disputavit, imprimis eo argumento usus, quod magnum sit discrimen inter singulas mutationes, quae S. tribuuntur.

Nam inveniuntur in illis emendationes, quae tantum ab homine artis criticae et dictionis Sophocleae expertissimo excogitari potuerunt. Quid vero, ex Dindorfii sententia idem ille homo alias quoque excogitavit coniecturas, quae non modo nullum sensum praebent, sed etiam demonstrant, hominem qui talia excogitare potuisset, non vulgari stultitia atque imperitia praeditum fuisse? Quae duae res quo modo inter se conciliari possint, non intellegitur. Qua ex re sequitur S. non fuisse διορθωτήν, sed librarium, neque oculatiorem neque peritiorem eo, qui primus codicem exaravit. Atque haec sententia aliis quoque argumentis demonstratur. Scripsit enim, ut vidimus, S. scholia, in quibus multa occurrunt scribendi vitia, quae ex parte e codice Florent. G. corrigi possunt, atque aperte librario tribuenda sunt; cuius rei multa inveniuntur exempla in II. tomo scholiorum a Dindorfio editorum Oxoniae 1852. Talia autem librarium neglegentem non virum criticum demonstrant. Accedit, quod in scholiis multi occurrunt loci omnino corrupti, quos διορθωτής certissime correxisset, S. autem sine ulla offensione transcripsit. Ita in scholio ad O. C. v. 1061 post παρακειμένης sequitur ȣ, quod hoc loco nullum sensum praebet et certissime probat, illum qui haec scripsit codicis vestigia quam accuratissime sine ullo suo iudicio secutum

1) Jahns Jahrbb. 1862. p. 162 sq.

esse. Idem probant schol. ad Ant. vv. 136. 711. 722. Quid, quod ex virorum doctorum sententia S., cum schoiia transcriberet, lemmata eis praefixit, verba ex codicis Laurent. scriptura sumens? Cum autem scholia inquiramus, offendit perpaucis tantum scholiis lemmata praeposita esse, nonne hoc hominis critici erat aut ubique aut nusquam scholiis lemmata praeponere? Praeterea nonnullis scholiis lemmata praefixa sunt, quae omnino non ad hoc scholion pertinent. cf. Trach. v. 549, v. 556. Ph. v. 94. El. v. 130, v. 630; quod certe *διορθωτής* non fecisset. Accedit quod multis locis lemmata non cum scriptura codicis consentiunt, quare statuamus necesse est aut lemmata non ex Laurentiano exscripta esse, aut S. fuisse librarium neglegentissimum [1]). Cum denique S. non numquam varias lectiones adscriberet aperte corruptas; cf. O. C. v. 195 *ἥ στῶ*, quod nihil nisi *ἢ στῶ* esse potest [2]); et a se adscriptas ipse corrigeret, ut Ai. v. 308 *γρ. ἐρεισθείς*, quod primum *ἐρισθείς* scriptum
ου
fuit, et El. v. 1438 *γρ. νηπίωι* ab S. *ου* ab S. superscriptum; dubium esse non potest, quin variae lectiones non coniecturae sed libro debeantur.

Atque hoc iudicium, quod multis argumentis fecimus, confirmatur tota illa multitudine mutationum, quae a S. in textu vel in margine adscriptae sunt. Hanc paullo accuratius examinari opus est. Nonnullas mutationes libro deberi ne Dindorfius quidem negavit, sed plerasque ex coniectura factas esse certis indiciis constare dixit. Quae indicia vellem addidisset vir doctissimus, nam mihi e contrario pleraeque mutationes libris, paucissimae tantum coniecturis deberi videntur, atque illas quidem non ab S. exogitatas esse sed a grammaticis, qui ante eum vixerunt, ex argumentis iam allatis et afferendis sequitur.

Primum adscripsit S. margini versus nonnullos, quibus vix carere possumus, O. R. v. 1104. Tr. v. 445, v. 536. El.

---

1) Postea accuratius hanc quaestionem tractabimus.

2) cf. schol. ad Ph. v. 423 et v. 426.

v. 993, v. 1007 et O. R. v. 579 de quo versu non constat, utrum a prima manu, an à S. scriptus sit, et hos omnes ex libro haustos esse vix est quod moneam. Praeterea permultis locis aut superscripsit aut addidit S. vocem aliquam: O. R. v. 440 *οὔκουν σὺ ταῦτα, σν* ab S. add. v. 857 *γ' ἂν οὔτε, ἂν* „ab S.“ [1]); Ant. v. 91 *ὅταν δὴ μὴ σθένω, μὴ* „add. S.“ v. 1245 *ἐσθλὸν ἢ κακόν, ἢ* „ab S.“; Phil. 1123 *μοι καί πον, πον* ab S. insertum. Atque his locis facillime intellegitur S. non suas coniecturas sed libri scripturam annotasse, et voculas illas errore tantum a primo librario omissas esse, quae res apparet ex Ant. v. 91 ubi librarius propter proximam vocem *δὴ* omisit *μή*. Eodem modo causa erroris, in quem primus librarius incidit, patet El. v. 261 *ἢ πρῶτα μὲν τὰ μητρὸς* „*μὲν τὰ* ab S. illatum“, quae verba omiserat prima manus, quia antecedens quoque verbum in literis *τα* finitur, et O. C. v. 767 *οὐκ ἤθελες θέλοντι* S. scripsit in litura, a pr. videtur *ἠθέλοντι* fuisse, quod aperte scripsit librarius ab uno ad alterum verbum aberrans. Ceteri autem loci sunt: O. C. v. 1462 S. scripsit in litura quinque literarum, quae *μέγας* fuisse videntur, *μάλα μέγας*, omisit igitur primus librarius *μάλα*. O. C. v. 1729 *τάδ'* ab S. inlatum Ant. v. 1234. Laur. pr. m. *εἰ δύςμορος*, S. emendavit: *εἶθ' ὁ δύσμορος* Ai. v. 1276 *μοῦνος* add. S. Phil. v. 762 *δῆτα* addidit S. El. v. 1490 *γένοιτο*, v. 1505 *τῆνδε* ab S. inlatum. Qui igitur putaverit, hos locos coniectura grammatici emendatos esse, grammaticum sibi fingat, necesse est, tali doctrina atque sagacitate praeditum, quae byzantini grammatici indolem valde superat, atque in arte critica ita exercitatum, ut locis lacunosis certissime divinare possit quid poeta scripserit.

Aliis locis a S. vitiosa pr. m. scriptura corrigitur. Sic O. R. v. 976 legitur: *καὶ πῶς τὸ μητρὸς λέχος οὐκ ὀκνεῖν με δεῖ*, qui versus sic a Sophocle scribi non potuit, ut violatum metrum monstrat; rectam autem scripturam annotavit

---

[1]) haec particula saepius a S. addita est. cf. O. R. v. 1104. Ai. v. 1059. Ph. v. 306.

S., qui haud dubie non in metro offendit, sed in codice a se conlato aliam invenit lectionem *λέκτρον*, quod vocabulum facile alio *λέχος* expelli potuit (cf. O. R. v. 260. O. C. v. 527). Aliter Dindorfius statuit errore librarii ordinem verborum commutatum et scribendum esse aut *οὐκ ὀκνεῖν λέχος μὲ δεῖ* aut *οὐκ ὀκνεῖν μὲ δεῖ λέχος*, cui haud facili permutationi vel maxime obstat varia lectio ab S. adscripta. O. C. v. 906 pr. m. *ἀφῆκ' ἂν*. S. *μεθῆκ ἂν*. Ant. v. 264 pr. m. *ἔχειν*. S. *αἴρειν*. v. 387 pr. m. *ἐξέβην*. S. *προύβην*. Ph. v. 246: pr. m. *οὐ δὴ γάρ*. S. *οὐ γὰρ δή*. v. 282 pr. m. *συμβάλλοιτο*, S. *συλλάβοιτο*, quae verba saepius in codicibus commutantur; v. 853 pr. m. *ἔχεις*, S. in margine *ἴσχεις*. El. v. 592 pr. m. *τυγχάνει*, S. *λαμβάνει*. Hi omnes loci, ita ut a pr. m. leguntur, grammatico undecimi saeculi nullam offensionem praebere potuerunt, et quae additae sunt emendationes facultatem talis hominis longe superant; qua re non dubitandum est, quin re vera sint variae lectiones. Sin autem aliquis nihilo minus Dindorfio assentitur, conferat velim O. C. v. 43; ibi enim ante verba *εἴποι* et q. sec., in initio versus adscripsit S.: *χ*, quo signo haud dubie depinxit notam illam criticam a veteribus grammaticis adhibitam, quam in hunc locum quadrare patet ex scholio: *νιν: ἀντὶ τοῦ αὐτάς. διὸ τὸ χ.* Hoc autem signum e coniectura scribere non potuit S., quare non dubium est, quin illud e codice sumserit. Apparet igitur librarium illum sine iudicio omnia, quae in codice reperit, accuratissime transcripsisse. Hoc iudicium etiam eo demonstratur, quod S. non solum correctiones sed etiam falsas et ineptissimas lectiones, quae tantum librariorum errore ortae esse possunt, adscripsit. Ita O. C. v. 1205 pr. m. habet *σὺ δὲ σῶν* (*σῶς* cum Scaligero scribendum est) S. superscripsit *δὲ σέ*, quod ineptum esse apparet. O. C. v. 415 pr. m. *μολόντες*, S. *μολοῦντες*. Ant. v. 195 *ἀριστεύσας δορί* pr. m. S. superscripsit *χε*, i. e. *χερί*. Ant. v. 672 pr. m. *ἀναρχίας δὲ μεῖζον* S. superscripsit *γάρ*. Ant. v. 970 pr. m. *Σαλμυδησὸς ἵν' ἀγχίπτολις*. S. superscripsit *ὃν*, quam variam lectionem disertis verbis scholiasta agnoscit. Ex scholiis quoque patet,

non ex coniectura ortum esse, quod S. ad Ant. v. 1314: ἐν φοναῖς adscripsit εἰς φονάς, sed variam esse lectionem; scholiasta enim dicit: τίνι τρόπῳ, φησὶν, ἐλύετο καὶ ἐφέρετο εἰς φονάς, eadem scholiastae auctoritas probat, mutationem a S. factam in Ph. v. 852 pr. m. οἶσθα γὰρ ὢν αὐδῶμαι S. ὃν veterem fuisse variam lectionem. El. v. 876 pr. m. ἔνεστ' ἰδεῖν; S. ἔτι, quam lectionem S. haud dubie transcripsit ex libro, in quo finis huius versus evanuerat et grammaticus ad sensum tantum spectans ἔτι substituit [1]). El. v. 896 pr. m. ἔστιν; S. εἰσιν. Ant. v. 53 pr. m. ἔπος; S. πάθος. O. C. v. 632 $^{\varphi\iota\lambda o}$δορύξενος, φιλο ab S., quae lectio fortasse errore librarii orta est, qui glossam φίλος [2]) pro varia lectione habuit, cuius erroris multa exempla inveniri possunt. O. C. v. 726 pr. m. ἐγὼ; S. κυρῶ, quod fortasse coniectura ortum est, non autem a S. excogitata, et eodem modo quo ceterae mutationes ex conlato codice a S. transcriptum. Restat O. C. v. 238 pr. m. γέραον πάτερα. S. superscripsit ἀλαὸν, quod coniecisse eum fortasse putes, sed conferas v. 244 ubi in Laur. haec leguntur: ἄντομαι οὐκα . . λοισ, α . . in litura trium literarum et λοισ a m. recentissima inserto; legendum esse οὐκ ἀλαοῖς constat, sed puto in margine codicis a S. conlati scriptam fuisse variam lectionem ἀλαόν, quam S. versus confundeus versui 238 superscripsit. Falsa quoque est lectio ad Ant. v. 316: οὐκ $^{\varepsilon\tilde{\iota}}$οἶσθα καὶ νῦν, εἶ ab S. statim inter versus addita explicatione: ἄπιθι καὶ νῦν γὰρ λέγων ἀνιαρός μοι εἶ. Hanc variam lectionem, quam grammaticus byzantinus [3]) explicare studuit, in codice suo invenit S. et una cum explicatione transcripsit, quod saepius factum esse in priore capite vidimus.

Relicum est, ut de levioribus mutationibus a S. factis pauca dicam, quae cum ita sint comparatae, ut qui non-

---

[1]) cf. El. v. 303.

[2]) cf. schol. ad El. v. 46 δορυξένων ἀντὶ τοῦ φίλων.

[3]) recte de hoc loco iudicat Nauckius: Jahns Jahrbb. 85 p. 162 ein charakteristisches Specimen byzantinischer Weisheit.

nullas noverit omnes noverit, breviter pertractari possunt. Saepissime inveniuntur literae *σ*, *ν*, *δ*, *ϱ* ab S. additae, ubi a prima manu omissae sunt aut neglegentia, sicut illis locis, ubi bis positae desiderantur, aut quia in archetypo non legebantur. Quae mutationes num omnes libro debeantur an nonnullae fortasse librarii coniecturae, difficile est dictu, cum tales mutationes librarii alicuius facultatem non superent. Ita alteram literam quae est *σ*, inseruit S. hisce locis: O. R. v. 707 *ἀφεὶς σεαυτὸν*; v. 746 et 919 *πρὸς σ'*; v. 1302 *πρὸς σῇ*. Ant. v. 292 *ὡς στέργειν;* v. 1298 *ὀνειδίζεις σποράν*. Phil. v. 579 *πρὸς σ' ὅ;* v. 1221 *ἐλεύσσομεν;* v. 1246 *κρείσσω*. El. v. 669 *τίς σ';* v. 1198 *προὔθηκας σποδόν* — alteram v. inseruit S.: O. R. v. 842 *ἐννέπειν;* v. 1015 *γεννητῶν;* v. 1510 *γέννημ';* v. 893 *ἐν νεκροῖς;* v. 952 *ἂν νιν;* v. 241 *ξυνναίοιμι;* v. 436 *κρύψον νιν;* literam *ϱ*: O. C. v. 1590 *καταρράκτην* et *ο* Ph. v. 1209 *νόος;* etiam falso addidit alteram *σ* O. C. v. 561 *ὁποίας σ' ἐξαφισταίμην*. Ceterae quoque emendationes eiusmodi corrigunt vitia, qualia saepissime a librariis committuntur, cf. O. C. v. 16
π *ϊ*
ἀφείκασαι, *π* ab S.; v. 62 *ἔστιν ὦ*, *ν* ab S.; v. 515 *ξενείας*, *ϊ* ab S.; cf. schol., in quo eadem legitur lectio, Ant. v. 171 *παίσαντες*, literae *αισ* duabus literis elutis ab S. substitu-
ϑ
tae. Ant. v. 523 *οὗτον υνεχειν* pr. m., literas *τον* in *τοισ* mutavit S. i. e. *οὗτοι συνέχθειν*. El. v. 920 *φευ*, *ευ* ab S. —

Sin autem re vera corrector vel *διορθωτής* fuisset, certissime maiorem constantiam in emendandis vitiis codicis Laur. praestitisset, nam modo correxit, modo neglexit eadem vitia, ita ut non parvus sit numerus eorum versuum, qui vitia continent quae a correctore neglegi non debebant. Adscripsi exempli causa nonnullos locos ex Oed. Rege, ex quibus haec neglegentia luculentissime apparet; numerus enim vitiorum, quae correxit S. in hac fabula, 30 fere est, eorum, quae praetermisit, 21. Sic v. 31 a pr. m. legitur: *οὐχ ἰσούμενον*, ubi *οὐκ* scribendum fuit; v. 79 *προστείχοντα*, ubi *προςστείχοντα* vera scriptura est; v. 236 non correxit

S. vitiosam scripturam τῶν ἄνδρ' ἀπανδῶ; v. 281 δύναιτο ἀνήρ; v. 311 ἔχειν pr., ubi sensus postulat ἔχεις; v. 425 τοῖς σοι τέκνοις, scribendum fuit τοῖς σοῖς; v. 787 praetermisit S. vitiosum λαίθραι, ita ut v. 386 λάθραι; v. 953 non correxit τὰ σεμνὰ ἴν'; v. 999 ὄμματ' ἥδιστον; v. 1047 ἔστι τις pr. quod m. rec. correxit addito ν; v. 1114 pr. ἀλλ' ὡς ἔτ οὐς, quod m. rec. correxit in ἄλλως τε τοὺς, qui error virum criticum fugere non potuit, atque idem dicendum est de v. 1132 γ' ἐσθαῦμα, ubi γε θαῦμα mutandum erat, et v. 1136 τῷδετ' ἀνδρὶ in τῷδε τ' ἀνδρί; v. 1140 pr. scripsit τοῦτον, ubi τούτων scribendum esse patet; v. 1157 τῇδ' ἐν ἡμέρᾳ, ubi τῇδ' ἡμέρᾳ scribendum erat. Atque ita fugit S. vitium, quod a manu pr. v. 1158 legitur, τὸ δή.ξεις, quod in τόδ' ἥξεις mutandum erat; v. 1283 τηδέθ' ἡμέρᾳ, scribendum τῇδε θ' ἡμέρᾳ; v. 1376 προςλεύσσειν, ubi non S. sed alia m. ant. addidit σ; v. 1451 non delevit S. superfluum σ in ὄρεσσιν, quod certe fecisset, si criticus homo et legis metricae peritus fuisset.

Sed iam satis superque mihi videor demonstrasse S. non fuisse διορθωτὴν sed librarium, omnesque eius varias lectiones codicis alicuius, quem contulit, frui auctoritate. Nunc igitur ad ipsas varias lectiones accedere possumus.

Ac primum quidem ab hoc capite segregandae sunt nonnullae variae lectiones, quas Dindorfius nulla idonea causa S. tribuisse videtur, cum inter scholia legantur et cum scholio, cui praescriptae sunt, arctissime cohaereant, quales sunt. O. C. v. 1054. Ant. v. 521, v. 646. Tr. v. 602, v. 1035, v. 1183. Ph. v. 954. El. v. 1437. Nihil autem obstat, quominus nonnullas varias lectiones, quae librariorum, ut ita dicam, non scholiastarum auctoritate frui videntur, et quas Dindorfius praetermisit, ad hoc caput referamus. O. C. v. 19, v. 583. Ant. v. 1136. Tr. v. 570, v. 593, v. 1005b. Ai. v. 1295. Ph. v. 1052. El. v. 111, v. 204, v. 272, v. 303, v. 751.

Non autem omnia verba, quae S. cum sigla γρ. adscripsit, re vera sunt variae lectiones, sed haud parvam eorum partem librariorum stultitia pro variis lectionibus habitam

esse constat. Nonnulla enim verba, quae cum γϱ. adscripta sunt, neque librariorum errore ex vulgata scriptura corrupta esse, neque grammaticorum coniecturis deberi possunt, cum et vulgata scriptura tam aperta sit, ut mirum videri possit, quomodo aliquis ad coniecturam confugere potuerit, et saepissime adscripta lectio ne metro quidem satis faciat. Quare necesse est, statuamus haec verba proprie glossas fuisse, quas librarii falso pro variis lectionibus habuerint. Ita ex grammatici explicatione ortum esse videtur γϱ. πάγου ad O. C. v. 19 μέτϱου. O. C. v. 90 ξενόστασις. S. γϱ. καὶ κατάστασις. Fuit fortasse scholiastae annotatio haec: ἀντὶ τοῦ κατάστασις τῶν ξένων, ex qua librarius excerpsit variam lectionem. O. C. v. 193 πόδα κλίνῃς, S. γϱ. κινήσῃς. O. C. v. 1060 πελῶσ', S. γϱ. πελάζουσι; atque hoc ipsum verbum πελάζουσι explicationem fuisse lectionis πελῶσι, demonstrat schol. ad v. 1059: ὁ δὲ νοῦς· Ἆϱα ἐπὶ τὸν ἕσπεϱον χῶϱον τῆς λείας μέτϱας πϱοςπελάζουσι. Ant. v. 83 pr. m. πότμον, S. γϱ. βίον. Assentior quoque illis viris, qui Ant. v. 633 γϱ. θυμαίνων ad codicis verbum λυσσαίνων adscriptum ex glossemate ortum esse putant obloquente Hermanno, qui hanc lectionem pro grammatici coniectura habuit. Rectum porro vidit Wolffius, qui γϱ. στήλης, quod ad Ant. v. 699 legitur, explicationem esse putat verborum χϱυσῆς τιμῆς, quae in textu leguntur, et cum vir doctissimus p. 207 hanc quoque quaestionem accurate pertractaverit, satis habebo illos locos, de quibus cum Wolffio consentio, nullis additis argumentis adponere:

Ant. v. 1307 pr. m. ἀνταίαν	S. γϱ. καιϱίαν
Ai. v. 273 pr. m. φϱενοῦντας	S. γϱ. βλέποντας
Ai. v. 403 pr. m. φύγῃ	S. γϱ. τϱάπῃ
Ai. v. 564 pr. m. τηλωπὸς	S. γϱ. τηλουϱγός,

quod calami lapsu pro τηλουϱός scriptum esse iam scholiorum editor Romanus cognovit; interpretes autem hoc γϱ. re vera variam lectionem esse censentes ambigunt, utrum haec an illa genuina sit scriptura. Atque τηλουϱός praetulit Wolffius contendens τηλωπός tum tantum scribi posse, si cum θήϱαν ἔχων coniungatur, ita ut Teucer procul spectans

sagittas dirigere dicatur. Quod certe falsum est. Sin autem putavit τηλωπός tantum „procul spectans“ significare, haud dubie erravit vir doctissimus, nam obstat Phil. v. 216 τηλωπὸν ἰωάν, quod cum Sophocles scribere posset, non video, cur τηλωπὸς οἴχνει coniungere non potuerit [1]). Accedit, quod τηλουρός ne varia quidem scriptura esse videtur sed explicatio grammatici, qui rarius verbum paullo usitatiore interpretatus est, quae sententia eo commendatur, quod in Laur. a m. rec. superscriptum est ὡς τηλουρόν, quae verba certissime alio debentur codici, in quo eadem haec explicatio exstabat, quam S. pro varia lectione habuit, atque illud additum ὡς explicationi inserviisse videtur.

Ai. v. 617 pr. m. εὕρηται S. γρ. γεγένηται
Ai. v. 831 pr. m. τοσαῦτάσ' S. γρ. τοσαῦτά σοι
Ai. v. 1209 pr. m. συγκειμένους S. γρ. συνεμπόρους

quod aut ex explicatione, aut ex adscripto exemplo oriri potuit.

El. v. 204 pr. m. ἔκπαγλ' ἄχθη S. γρ. ἔκπαγλα πάθη
El. v. 331 pr. m. θυμῷ ματαίῳ S. γρ. ψυχῇ ματαίᾳ
El. v. 1394 pr. m. ἑδώλια S. γρ. ἑδράσματα,

quem locum Wolffius omisit; ἑδάσματα autem interpretationem esse verbi ἑδώλια probant Hesychius: ἑδώλια . . . . μεταφορικῶς καὶ τὰ τῆς οἰκίας ἕδρια et Suidas: καθέδραι ἢ ἑδράσματα Σοφοκλῆς κτλ.

Phil. v. 880 pr. m. κόπος μ' ἀπαλλάξῃ, γρ. κόπου ἀπαλλαχθῶμεν, quod recte Hermannus cognovit scholiastae esse explicationem proximis verbis accommodatam.

Has igitur lectiones adscriptas ex glossis ortas esse aut argumentis demonstrari potest, aut ex locis ipsis patet, quare de his dubitari non potest, potest autem de locis, quos nunc afferam. Quod enim ad Ai. v. 501 verba λόγοις ἰάπτων adscriptum est γρ. ἀτίζων, ὑβρίζων Wolffius glossam esse vult, cum Nauckius ἀτίζων ex ἰάπτων corruptum esse putet, ita ut prima verbi ἰάπτων litera eluta librarius pro

---

[1]) Rectissime Passovius in lexico s. v. hunc locum explicasse videtur: „ietzt ist er weit aus den Augen enteilt.“

ΑΠΤΩΝ scriberet *ΑΤΙΧΩΝ*, quod fieri potuisse non negaverim, tamen propter sequentem explicationem *ὑβρίζων* mallem utrumque vocabulum cum Wolffio in glossarum numero existimari [1]). Neque aliter statuendum videtur de Ai. v. 1233, ubi ad *διωμόσω γρ. διωρίζω* ab S. adscriptum est, quod aliquis ex tradita lectione corruptum esse arbitrari potest, sed praestat Lobeckii explicatio, qui in illo verbo glossema agnoscit; atque ita *γρ. δυσμενής* ad El. v. 929 verbum *δυσχερής* adscriptum fortasse librarii errore corruptum est, sed cum explicationem contineat traditae lectionis, ex glossemate potius ortum esse videtur.

Postremo loco illos verbo tantum commemoro versus, in quibus quod nunc in textu legitur verbum, glossema et quod S. adscripsit genuinam esse lectionem, nonnulli homines docti contenderunt, de quibus postea accuratius nobis dicendum erit, versus dico Ai. 582: *πήματι γρ. τραύματι.* El. 922: *ὅποι γνώμης φέρει γρ. ἔφυς.* El. 1101: *ἱστορῶ γρ. μαστεύω.* El. 1450: *δίδασκέ με γρ. μήνυέ μοι*, quibus locis quod in *γρ.* legitur verbum, apertam continet genuinae lectionis explicationem.

His, quae falso putantur variae lectiones, eas adiungam, quae simili librariorum stultitia ex adscriptis exemplis ortae sunt, de quibus optime dixit Wolffius p. 212, sex eiusmodi locos afferens. Ad hoc autem caput referendi sunt ab S. allati: O. R. v. 1529 *μηδὲν ὀλβίζειν πρὶν ἂν γρ. πάντα προςδοκᾷν ἕως ἄν.* Ai. v. 57 *ἔχων γρ. παρών*, quod ex exemplo ex eiusdem fabulae v. 1131 adscripto *οὐκ ἐᾷς θάπτειν παρών* ortum videtur. Ai. v. 650 *ὃς τὰ δείν' ἐκαρτέρουν τότε γρ. ἐπηπείλησ' ἔπη*, quod optime oriri potuit ex adscripto exemplo, Ai. v. 312 *τὰ δείν' ἐπηπείλησ' ἔπη* [2]). Et quod fugit Wolffium, huc pertinere videtur El.

[1]) *ἀτίζων* non esse coniecturam grammatici, quod Dindorfius putavit, recte contendit Nauckius.

[2]) non autem recte iudicat Wolffius de reconstructione huius corrupti scholii, cum post *πρὸ τοῦ* in cod. Flor. G. legantur verba: *καταπαῦσθαι* (i. e. *καταπεπαῦσθαι*) *τῆς μανίας*, quae ab S. neglegenter omissa sunt.

v. 1019: *ἀλλ' αὐτόχειρί μοι μόνῃ τε δραστέον γρ. ἀλλ' οὐδὲν ἧσσόν μοι*, quo monere voluit scholiasta lectorem loci alicuius, quo similis sententia a poeta prolata esset.

His absolutis viam nobis ad ipsas varias lectiones munivimus, atque primum de falsis, tum de illis dicendum erit, quae textus scripturae praeferendae sunt.

Initium faciam cum O. R. v. 158, ubi ab S. adscriptum est: *γρ. πρώτανγε*, atque hoc non ex coniectura, sed ex alio codice ortum esse, vel ex eo conicias, quod in Laur. legitur *πρᾶτά σε*, erasa una litera, quae aut *σ* aut *ν* fuisse videtur, falsam autem esse illam variam lectionem metrum ostendit. Falsa quoque est lectio et ex librarii errore orta *γρ. φίλον ἐναγῇ* ad O. R. v. 656 *ἐναγῆ φίλον* adscripta; et nisi fallor, *γρ. ἐμοῖς ἐπὶ πόνοις*, quod ad O. R. v. 1323: *ἐμὸς ἐπίπολος* adscriptum est, non coniecturae debetur, neque, ut Wolffius putat, ex glossemate ad totum enuntiatum, sed ex errore librarii ortum est. Idem valet de Ant. v. 697: pr. m. *κυνῶν*, S. *γρ. λύκων*, cum literae, de quibus agitur, facillime commutari potuerint. Huc etiam referendum est *γρ. ἐπιβοῶμαι* ad Ant. v. 846 *ἐπικτῶμαι* adscriptum, de quo non constant hominum doctorum iudicia. Dindorfius *ἐπιβοῶμαι* aut coniecturam esse grammatici metri imperiti dicit aut glossema; Wolffius, Wunderum secutus, *ἐπικτῶμαι* corruptum esse putat ex *ἐπαυδῶμαι*, cuius verbi glossa *ἐπιβοῶμαι* nimirum optime esse potest. Sed contra Wunderum hoc maxime facit, quod non patet, quomodo literae *ΑΥΔ* in *ΙΚΤ* corruptae sint, et quod in vulgata scriptura nihil offendit. Sin autem literarum ductus utriusque vocabuli respicis: *ΕΠΙΒΟΩΜΑΙ* et *ΕΠΙΚΤΩΜΑΙ*, intelleges, quam facile haec a neglegenti librario inter se commutari potuerint. Ant. v. 1328: a pr. m. habet *βράχιστα γὰρ κράτιστα τἀν ποσὶν κακά*. S. adscripsit *γρ. κράτιστα* et *γρ. τάχιστα*, quae variae lectiones haud dubie librarii errori debentur. Atque idem dicendum est de Ai. v. 455 *ἐμοῦ μὲν οὐχ ἑκόντος*. S.: *γρ. οὐκ ἔχοντος*. cf. Nauckium p. 163 de Ai. v. 946: pr. m. *ὤμοι* S.: *γρ. ἰώ μοι*, cf. v. 939, de Ai. v. 1104 *ἢ καὶ τῷδέ σε*. S.: *γρ. ἢ καὶ τοῦδέ σοι*; unus quisque enim intelleget, has ineptas

scripturas non correctori codicis, sed librarii neglegentiae deberi. Rectissime quoque dixit Nauckius de Ai. v. 1310, ubi quod adscriptum est γρ. ὑπερπονουμένους ad verbum ὑπερπονουμένῳ, certissime errori librarii debetur, ad finem versus 1309, ubi συγκειμένους est, aberrantis; ita ut de Ph. v. 423 pr. m. κάκ' ἐξήρυκε. S. γρ. κἀξεκήρυξε. Librarii errori quoque debemus ineptissimam variam lectionem ad Ph. v. 1132. ἄθλιον γρ. ἆθλον, cui vel metrum obstat. Falsa porro est et ex simili errore orta varia lectio γρ. ποινία ἀρά ad El. v. 111 ποτνία ἀρά; El. v. 379 γόων γρ. καὶ λόγων; nam haec verba saepius inter se commutantur [1]). Quod ad El. v. 751 λαγχάνει adscriptum est γρ. τυγχάνει, Wolffius ex glossemate ortum esse putat, sed propius ad verum accedere mihi videor, si λαγχάνει librarii errore in τυγχάνει corruptum esse statuam; nam constat haec verba saepius in codicibus permutata esse [2]).

Ex illis variis lectionibus, quas Dindorfius διορθωτῇ suo non tribuit, quae autem huc pertinere videntur, afferam: O. C. v. 583 pr. m. τὰ λοίσθι' αἰτεῖ γρ. τὰ λοίσθ' ἄρ' αἰτεῖ, quod nulla idonea causa praetulit Wunderus. Ant. v. 1136 pr. m. ἐπισκοποῦντ' ἀγυϊάς γρ. ἐπισκοποῦντα γυΐας. Trach. v. 593 pr. ἔχοις ἂν γνῶμα γρ. ἄγνωμα. Ai. v. 1295 pr. αὐτός γρ. αὖθις. El. v. 303 pr. ἐγὼ δ' Ὀρέστην τῶνδε προςμένουσ' ἀεί γρ. ἐγὼ δ' Ὀρέστην προςμένουσ' ἀεί ποτε, quod aliter explicari nequit, nisi sumas, verbum τῶνδε in codice aliquo neglegentia omissum fuisse et postea mancum versum a librario aliquo vel recentiore grammatico verbo ποτε quodammodo restitutum esse; atque eodem modo manco exemplari usus esse videtur librarius, qui O. R. v. 134 scripsit: πρὸ τοῦ θανόντος τήνδε θεσπίζει γραφήν; invenit enim in exemplari, ex quo transcripsit Sophoclis fabulas: τήνδε θεσ . . πι . . ρ . φην, atque ita ut modo dixi, supplevit lacunas; hanc autem ineptissimam lectionem S. non

---

1) cf. Phil. v. 1401.

2) cf. El. v. 364 τυχεῖν. λα a m. paullo recentiore. (λα superscriptum supra τυχεῖν)

potuit non adscribere ad codicis verba: *τήνδ' ἔθεσθ' ἐπιστροφήν*, quae haud dubie recte se habent. Hac Nauckii coniectura illa varia scriptura, quam multi homines docti frustra explicare studuerunt, optime explicatur.

Nonnullae autem variae lectiones, quas S. adscripsit, inveniuntur quoque in scholiastarum annotationibus, ut Ai. v. 309 pr. m. *ἐρειφθείς*. S. *γρ. ἐρεισθείς*, cf. schol. ad v. 308: *τινὲς δὲ ἐρεισθεὶς γράφουσι, οἷον ἐπερεισάμενος*. Ai. v. 1056 pr. m. *ὡς ἕλοι δορί*. S. *γρ. ὡς ἐλοιδόρει*, cf. schol. *ὡς λοιδορούμενος ἐπηγγείλατο*; genuina scriptura haud dubie est: *ἕλοι δόρει*, quam scholiasta pro uno accipiens verbo, perverse explicavit. O. C. v. 1220 pr. m. *ἐπίκουρος* S. *οἴμαι κόρος*, quam coniecturam esse fortasse putes, sed demonstrat scholion: *τοῦτό ἐστι τὸ ἑξῆς· οἷον οὐδὲ ἔπεστι αὐτοῖς κόρος, . . . οὐ παύσονται τοῦ κόρου, πρὶν ἐς θάνατον ἔλθωσιν*, veterem hanc fuisse variam lectionem. Utrum autem librarius haec, ut El. v. 272. Ant. v. 153, de quibus locis postea dicendum erit, ex scholio excerpserit, an in codice aliquo invenerit, vix diiudicari potest; sed si conferas Ant. v. 970 pr. *ἵν'* (superscr. *ὃν*) *ἀγχίπτολις*. *ὃν* superscripsit S. cum scholio: *ὅσοι δὲ γρ. ὃν Ἄρης*. et Tr. v. 602 *τόνδε γ' εὐνφῇ* (superscr. *ἀ*). *α* superscripsit S. cum scholio: *γρ. αὐφῇ ἀντὶ τοῦ . . . .*, multo verisimilior ea fit sententia, quod S. etiam ex scholiis varias lectiones et mutationes sumserit.

Non autem omnium variarum lectionum origo tam aperta est, quam earum, quas modo perlustravimus; dubitari enim potest, num ex coniectura an errore librarii orta sit varia lectio ad O. R. v. 1401: *ἆρά μου μέμνησθ' ὅτι* adscripta S. *γρ. ὅταν*. Hoc enim Sophoclem non scripsisse ex eo patet, quod *ὅταν* particula tantum apud posteriores graecos scriptores, praesertim apud scholiastas invenitur cum indicativo coniuncta; sed cum in nonnullis codicibus *ἔτι* legatur et cod. Lips. adscriptum habeat *ζητ.* i. e. *ζητέον*, conicere possis, grammaticos recentiores de constructione verborum, quae nihil difficultatis habet, laborasse et quod ad-

scriptum est ὅταν, grammatici alicuius commentum esse, quamquam non dixerim illud non potuisse ex errore librarii oriri. O. C. v. 1519 pr. m. ἅ σοι γήρως ἄλυπα τῇδε κείσεται πόλει: quod adscriptum est ab S.: γρ. σῇ τε κείσεται, Dindorfius putat correctoris esse coniecturam, sed quam facile σηιτε et τηιδε a librario permutari potuerint, intellegitur; sin autem re vera haec verba a correctore inventa essent, ignorantiam ostenderent hominis, quem notissimus dativus commodi fugere potuisset. Non minus ignorantiae documentum dedisset corrector, si ex sua coniectura ad Ant. v. 688 adscripsisset: γρ. σὺ δ' οὐ πέφυκας; nam quae in Laur. a pr. m. leguntur, optime se habent, cum genetivus σοῦ a verbo προσκοπεῖν pendeat; quamquam etiam haec scriptura ex librarii errore oriri potuit, quod de ineptissima varia lectione ad Ai. v. 60: εἰς ἕρκη κακά, S. γρ. εἰς ἐρίννυν κακήν mihi pro certo constare videtur, etsi aliter iudicat Dindorfius [1]).

Apertae autem recentiorum grammaticorum coniecturae esse videntur:

O. R. v. 153 pr. m. δείματι πάλλων, quod rectissime explicat scholiasta παλλόμενος φόβῳ; sed adscriptum legitus ab S. πολλῷ, de quo optime dixit Elmsleius: fuisse videntur, quibus displiceret πάλλων passivo sensu.

O. C. v. 58 pr. m. οἱ δὲ πλησίοι γύαι; S. γρ. αἱ δὲ πλησίον γύαι, quod imperitiam prodit nescientis, τοὺς γύας, non τάς tragicos dixisse, ut recte monet Dindorfius.

O. C. v. 1662. pr. m. ἀλύπητον, γρ. ἀλάμπετον, quod coniecturae deberi videtur grammatici, in verbis ἀλύπητον βάθρον offendentis, neque suo iure hoc praetulisse videtur Hermannus.

Ant. v. 519 pr. m. τοὺς νόμους τούτους S. τοὺς νόμους ἴσους, quae varia lectio coniecturae deberi videtur propterea factae, ut Antigonae verba cum Creontis responso accura-

[1]) assentior enim Nauckio scribenti p. 163: Unmöglich konnte dies einem byzantinischen Verbesserer in den Sinn kommen, zumal die byzantinischen Kritiker sich bemühen, überall 12silbige Trimeter mit accentuirter paenultima herzustellen; es liegt näher, einen Lesefehler anzunehmen.

tius congruerent; nam si statuamus ἴσους fuisse genuinam lectionem, non intellegitur, quomodo haec vox in τούτους depravari potuerit. Et quamquam non negaverim ἴσους bonum praebere sensum, tamen τούτους huic loco multo aptius videtur. Quales enim οἱ νόμοι οὗτοι sint, per se patet et bene a scholiasta explicatur verbis: τὸ θάπτειν. Accedit, quod Creonti interroganti, cur fratrem sepeliverit, Antigona duas affert causas, alteram quod frater fuisset, alteram quod fas esset, omnes mortuos sepeliri, et postquam Creon oblocutus est, ἀλλ' οὐχ ὁ χρηστὸς τῷ κακῷ λαχεῖν ἴσος, quo significat nefas esse, pravum hominem sepeliri, respondet Antigona: quis scit, num haec inferis placeant? quae responsio non bene quadrat ad ea quae praecedunt, si νόμους ἴσους legimus [1]).

Ant. v. 1270 pr. m. δίκην ἰδεῖν, S. γρ. ἔχειν, quam otiosam grammatici coniecturam recte perspexit Wunderus [2]), sicut Ai. v. 115 pr. m. ὥνπερ ἐννοεῖς, S. γρ. ἐννέπεις. Ai. v. 594 pr. m. δοκεῖς φρονεῖν, S. γρ. λέγειν. In hunc numerum porro referam Ai. v. 689 pr. m. ὑμῶν ἅμα, S. γρ. ὑπέρμεγα, de qua corrupta lectione doctissime disseruit Wunderus [3]), dicens: „extrema verba ὑμῖν ἅμα duplici modo accipi posse interpreti videbantur, aut ita ut ἅμα praepositionis loco esset, significans ὑμῶν μέτα, aut sic ut ὑμῖν esset ὑπὲρ ὑμῶν. Itaque adscriptum est ὑπέρ et μέτα, quod coniunctum transiit in ὑπέρμεγα.“ Contra haec autem primum dicendum est, in Laur. et plerisque aliis codicibus non exstare ὑμῖν, sed ὑμῶν, neque veri simile esse grammaticum, si talem duplicem explicandi viam annotare voluisset, hoc nudis verbis ὑπέρ μέτα fecisse, quod quantum equidem scio, nusquam alibi invenitur. Verum mihi videor invenisse, statuens, grammaticum reperisse falsam lectionem ὑμῶν ἅμα et cum intellegeret, hoc dici non posse, superscripsisse ὑμῶν μέτα, quae sententia eo confirmatur, quod in Laur. b. ex-

---

1) Quantum equidem scio, tantum Hermannus et Nauckius (Jahns Jahrbb. 1852, p. 244) codicis scripturam servare studuerunt.

2) de schol. auct. p. 23.

3) l. l. p. 30.

stat γϱ. μέτα. Cum autem postea μέτα errore in μέγα transiisset, facile librarius non perspicue scriptum verbum ὑμῶν in ὑπέϱ mutare potuit, cum ὑπέϱμεγα ei notum esset, non autem ὑμῶν μέγα. Atque hanc corruptam scripturam invenit atque adscripsit S.

Phil. v. 1052 pr. m. χϱῄζων, γϱ. κϱείσσων; cf. Wolff. p. 227.

El. v. 1 pr. m. στϱατηγήσαντος, S. γϱ. τυϱαννήσαντος, quod nullo iure Wunderus praefert, et Wolffius ex glossemate ortum esse putat, cui non assentior; nam falsissima et ineptissima esset h. l. interpretatio verbi στϱατηγεῖν per τυϱαννεῖν; optime autem Byzantinus grammaticus secum reputans, Agamemnonem non tantum ducem, sed etiam regem fuisse, conicere potuit scribendum esse τυϱαννήσαντος.

El. v. 591 pr. m. ἐπαινέσαιμ' ἄν, S. γϱ. ἐπαινέσωμεν, atque hanc lectionem praetulit Wunderus, eumque secutus est Wolffius: de schol. p. 35; in editione autem huius fabulae 1863 eam, quam textus habet, lectionem retinuit, rectissimeque de origine alterius scripturae iudicat, dicens, grammaticum propter sequentem κακοστομοῦμεν (v. 597) etiam h. l. pluralem numerum desiderasse.

El. v. 915 pr. m. ταῦτα τἀπιτίμια, S. γϱ. τἀγλαΐσματα, quae certissime non est varia lectio; nam τἀγλαΐσματα in τἀπιτίμια corrumpi non potuit, quare non assentior Bergkio, qui illud in textum recepit; coniectura potius videtur grammatici in voce ἐπιτίμια haerentis ex v. 908 hausta, aut annotatio scholiastae, qui lectorem monere voluit, idem antea a poeta ἀγλαΐσματα dictum esse. Contra Dindorfium, qui, negans ἐπιτίμια significare ea, quae in honorem alicuius fiant, scribi vult τἀπιτύμβια, optime disputavit Wolffius p. 121.

Sed hactenus de falsis lectionibus et de coniecturis, nunc ad eas, quae codicis scripturis praeferendae sunt, transitum nobis paramus.

Ph. v. 426, ubi a pr. m. legitur οἴμοι δύ' αὕτως δεῖν' ἔλεξας, S. γϱ. οἴμοι δύ' αὐτὼ δ' ἐξέδειξας, quae scriptura omni sensu carens certissime non ex coniectura orta est. Optime

autem Porsonus veram scripturam ex illa restituit: *δύ' αἳ τᾷδ' ἐξέδειξας*, quae ab omnibus editoribus summo iure recepta est.

Eodem modo praelatae sunt aut praeferendae esse videntur:

O. R. v. 212 pr. m. *μονόστολον*, *γρ.* *ὁμόστολον*, quod ab omnibus receptum est editoribus; nam codicis scriptura haud dubie ex hac corrupta est et fortasse ita, ut librarius, qui archetypum exaravit, primum scriberet *ονόστολον*, tum errorem suum animadvertens *μ* superscriberet: *ὀνόστολον* (with *μ* written above), quod primus Laur. librarius *μονόστολον* esse putavit.

O. R. v. 957 omnes fere interpretes Laur. secuti sunt, scribentes: *αὐτός μοι σὺ σημήνας γενοῦ*. Nauckius autem praefert lectionem, quam S. adscripsit *γρ.* *σημάντωρ*, quae tam exquisita est, ut vix coniectura grammatici esse possit. Accedit, quod haud vulgaris dicendi usus *σημήνας γενοῦ* offendit, quem interpretes explicare conati sunt locis, quales sunt: Ai. v. 588 *μὴ προδοὺς ἡμᾶς γένῃ;* Phil. v. 772 *μὴ σαυτόν — κτείνας γένῃ;* Plat. Soph. p. 217 C. *μὴ τοίνυν — ἀπαρνηθεὶς γένῃ*. Sed recte Bellermannus [1]) monuit, illis locis verba vetantis esse, non ut nostro iubentis, cuius usus exempla exstare negat Nauckius, neque equidem invenire potui, qua re et mihi praeferenda videtur varia lectio *σημάντωρ*.

O. C. v. 195 pr. m. *ἦ 'σθῶ*, *γρ.* *ἦστῶ ὃ καὶ βέλτιον* ab S. Haec verba multifariam a viris criticis sunt tentata. Apparet enim, quae a m. pr. scripta sunt, sensum quidem optimum praebere, sed ob ipsam formam *ἑσθῶ*, quae apud meliores scriptores non invenitur, valde esse suspecta. Quare adhuc hominum doctorum de hoc loco non constat iudicium. Variam lectionem, quam S. adscripsit *ἦ στῶ* [2]), Bergkius et Wolffius probarunt, Nauckius et Dindorfius reiecerunt. Sed mihi quoque, cum forma *ἑσθῶ* suspecta sit,

---

[1]) in editione, quae prodiit 1857.

[2]) nam ita aperte scribendum est; et codicis alicuius lectionem, non coniecturam esse hanc scripturam, iam ex addito grammatici iudicio, quod S. una cum varia lectione transcripsit, apparet.

probanda videtur scriptura *ἦ στῶ*, donec melior afferatur. Sensus autem hic est: postquam chorus Oedipo quaerenti respondit, „iam satis progressus es", Oedipus sono mirantis, quod chorus nondum seni sedendi potestatem dedisset, quaerit, num sibi consistendum sit, hoc est, num sibi non liceat considere, eodem modo ut nos germanice dicimus: „soll ich denn stehen?" quod idem est ac, „darf ich mich nicht setzen?" cui interrogationi chorus optime respondet: *λέχριος — ὀκλάσας*.

O. C. v. 1219 legitur a pr. m. *ὁπότ' ἂν τις*, quae verba corrupta sunt ex *ὅπου ὅταν τις*, quae metro et sensu flagitantur et ab S., quamvis non recte scripta, allata sunt in *γρ. ὅπου ὅτ' ἂν τις*. Codicis scriptura ita fortasse orta est,

ου

ut librarius archetypi scriberet: *ὅπ ὅταν τις*, literis *ου* aut plene aut compendio scriptis, quod codicis librarius neglegenter transcripsit.

Ant. v. 153 pr. m. habet *ἐλελίζων*. S. adscripsit *γρ. ἐλελίχθων*, quod summo iure praefertur, et iam scholiasta legit, qui adnotavit: *ἐλελίχθονα δὲ τὸν Διόνυσον φησὶ κτλ.*

Ant. v. 210 pr. m. *ἐκ γ' ἐμοῦ τιμήσεται*, adscripto in margine ab S. *γρ. ἐξ ἐμοῦ*, quod male ad v. 207 retulit Elmsleius.

Ant. v. 339 pr. m. *ἀποτρύετ' ἁπλομένων* corruptum est a librario ex vera scriptura, quam ex conlato codice S. adscripsit. *γρ. ἀποτρύεται ἰλλομένων*, una enim litera, quae est *λ*, omissa, literae *ETΑIIΛΟΜ* ita quoque legi potuerunt: *ετ' ἁπλομ* . . . .

ι

Ant. v. 429 pr. m. *δίψαν ἐκφέρει*, S. *γρ. διψίαν φέρει*, quod ab omnibus receptum, Dindorfius ex grammatici coniectura ortum esse putat, sed potest quoque cogitari syllabam *ἐκ*, postquam *διψίαν* in *δίψαν* corruptum fuit, versus supplendi causa a grammatico additam esse.

Ant. v. 1298 pr. m. *τάδ' ἐναντία* corruptum videtur ex vera scriptura, quam S. adscripsit *γρ. τόνδ' ἔναντα* et codex Parisinus 2712 exhibet.

Trach. v. 570 pr. m. ἐὰν πυϑῆι librarii errore corruptum ex ἐὰν πίϑηι, quod nunc in omnibus editionibus legitur et S. adscripsisse videtur γρ. ἐὰν πι, reliquis literis, quae haud dubie ϑηι fuerunt, macula obscuratis.

Trach. v. 1005 b pr. m. δύστανον, S. γρ. ὕστατον, nam ad hoc verbum, non ad δύσμορον, quod Elmsleius voluit, recte Hermannus hanc lectionem retulit et vulgatae praetulit, a multis hominibus doctis probatus.

Ai. v. 564 δυσμενῶν ϑήραν ἔχων S. adscripsit γρ. φρουράν, quod verbum Wunderus et Wolffius non variam lectionem, sed verbi ϑήραν explicationem esse putaverunt, cui sententiae equidem assentiri non possum. Quis enim verba ϑήραν ἔχων δυσμενῶν, quae nihil significant nisi ϑηρώμενος δυσμενεῖς explicabit verbis: φρουρὰν ἔχων δυσμενῶν, quae verba multo difficiliora sunt explicatu, quam ea quae explicare debent? Igitur φρουράν coniectura est grammatici? Neque hoc equidem putaverim, nam quis grammaticus, qui ϑήραν ἔχων legit in verbis tam perspicuis offendere potuit? Accedit, quod ne scholiasta quidem ad v. 563, ad quem Wolffius confugit, ϑήραν legisse videtur; dicit enim: φυλακὴν ἔχων τῶν ἐχϑρῶν· λέγοι δ' ἂν τῶν Θρᾳκῶν, περὶ γὰρ τὰ τελευταῖα τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου ἐσυμμάχουν τοῖς Τρωσὶν οἱ Θρᾷκες· γνόντες δὲ τοῦτο οἱ Ἕλληνες, φρούρους ἔταξαν προμηνύσοντας αὐτοῖς τὴν ἐκείνων ἔφοδον, ἵνα οὕτως ἐπελϑόντες, κατὰ τὴν ὁδὸν συμβάλωσιν αὐτοῖς, πρὶν ἐλϑεῖν εἰς Ἴλιον. Qui putaverit scholiastam ad explicanda verba ϑήραν ἔχων hanc doctam annotationem scripsisse, haud dubie falsus est, nam verba illa tam plana sunt et ad rem spectant, quae quotidie in bello Troiano accidere potuit, ut explicationis causa ad certum quoddam factum confugere non oporteret. Quid vero? scholiasta disertis verbis dicit φρούρους ἔταξαν i. e. speculatores miserunt ad explorandum Thracum exercitum et initio illum, quem habuit, textum explicat φυλακὴν ἔχων τῶν ἐχϑρῶν; quis autem ϑήραν verbo φυλακὴν explicabit? ϑήραν igitur scholiasta legisse nequit. Omnia autem bene se habent et tota annotatio ad textum quadrat, si statuas, eum φρουράν legisse, quod verbum He-

sychius explicat: *φυλακή*, *στρατός*. Atque haec lectio iam ob eam causam praestat, quod exquisitior est et difficilior explicatu, ita ut grammaticus aliquis in illa explicanda haerere et pro *φρουράν θήραν*, quod nulla eget explicatione, substituere potuerit. Sensus autem is est, quem optime interpretatus est scholiasta: Graeci ad explorandum hostium exercitum custodiam contra hostes miserunt, cuius dux Teucer fuit.

Neque dubitari potest, quin qui codicem descripsit, in Phil. v. 538 *στέργειν τάδε* scribens, ad finem proximi versus aberraverit, veram autem scripturam ex conlato codice S. adscripsit *γρ. κακά*.

Phil. v. 853 pr. m. scripsit: *γνώμαν ἔχεις*. in margine autem exstat ab S. cum signo, ad quod verbum referendum sit, adscriptum *ἴσχεις*, quod summo iure ab omnibus editoribus est receptum, cf. Phil. v. 837.

Phil. v. 1401 pr. m. *τεθρήνηται λόγοις* S. autem adscripsit *γρ. γόοις*, quod quam multum praestet codicis scripturae, apparet; accedit, quod *λόγοι* et *γόοι* saepius in codice a librariis permutata sunt, cf. El. v. 379.

El. v. 272 pr. m. *αὐτοφόντην*, S. *γρ. αὐτοέντην*, quam multo exquisitiorem formam scholiasta quoque in suo exemplari invenit, cf. ad v. 271.

El. v. 1097 pr. m. *ἄριστα τᾷ διός*, S. *γρ. ἄριστα ταζηνός*, ex quo omnes fere editores affecerunt *ἄριστα τᾷ Ζηνός* [1]), nam haec verba saepius permutantur in codice, cf. Ant. v. 1149. Tr. v. 956.

El. v. 1255 pr. m. *τάδε δίκαια χρόνος*, S. *γρ. τάδε δίκα χρόνος*, haud dubie perperam scriptum pro *τάδε δίκᾳ χρόνος*, quod metro flagitatur et iam a Triclinio restitutum est.

His igitur duodeviginti locis Sophoclis textus lectionibus a S. adscriptis emendari potest. Nunc sola restat

---

1) Kvičalae coniectura, *ἄριστα τᾷδ' Ἅιδος* scribentis, vix comprobari potest, cf. l. l. p. 69.

quaestio, utrum S. varias suas lectiones ex archetypo Laur. an ex alio codice sumserit. Priori sententiae quam plurima obstant argumenta.

Primum illud, quod S. scholia in margine Laur. adscripsit, quae si in archetypo fuissent, certissime a librario, qui textum exaravit, non praetermissa essent; accedit, quod S. nonnullos versus addidit, quos primus librarius certe non omisisset, si in archetypo fuissent; constat enim illum, postquam codicem descripsit, iterum archetypum contulisse, nonnulla vitia scribendi correxisse, decem et septem versus, quos omiserat, adscripsisse in margine. Cum igitur appareat, magnam curam a primo librario in exarando codice adhibitam esse, non veri simile mihi videtur, illum tam multa vitia neglexisse, tot versus praeteriisse, quam ab S. annotantur. Inveniuntur denique nonnulli loci, in quibus uterque, et primus librarius et S. aut vitium aliquod correxerunt, aut correcto a pr. m. vitio variam lectionem adscripsit S., quod ex hoc apposito schemata apparet:

O. C. v. 195 pr. m. *ἢ 'σθῶ*, corr. pr. m. *ἥσθῶ;* S. *γρ. ἡστῶ.*

Ant. v. 339 pr. m. *ἀπλωμένων*, corr. pr. m. *ἀπλομένων;* S. *γρ. ἰλλομένων.*

Ant. v. 429 pr. m. *δίψαν ἐκφέρει*, corr. pr. m. *δίψαν ἐκφέρει;* S. *γρ. διψίαν φέρει.*

Ant. v. 688 pr. m. *σοῦ*, corr. pr. m. *σοί;* S. *σὺ δ' οὐ.*

Tr. v. 1183 pr. m. *ἀπιστήσῃς*, corr. pr. m. *ἀπιστήσεις;* S. *γρ. προστήσῃς.*

O. R. v. 510 pr. m. *δ'*, corr. pr. m. *τε* vel *γε;* S. *θ'.*

O. R. v. 676 pr. m. *ουκομμ'ἔασε*, corr. pr. m. *οὐκ οὖν μ'ἐάσει;* S. *μ'ἐάσεις.*

O. C. v. 336 pr. m. *δεινὰς ἐκείνοις*, corr. pr. m. *δεινὰ δ'ἐκεῖ;* S. *δεινὰ δ'ἐν κείνοις.*

Ant. v. 529 pr. m. *οὔτουνέχειν*, corr. pr. m. *οὔτουνέχθειν;* S. *οὔτοι συνέχθειν.*

His igitur de causis non puto S. archetypo Laur. usum esse, sed assentior Nauckio, qui censet S. ex alio codice,

qui et textum et scholia continuerit, scholia et variarum lectionum discrepantiam transcripsisse. Hic autem codex qualis fuerit, vix dici potest, sed conicias fortasse eum ad eandem familiam, ex qua Laur. archetypus fluxit, pertinuisse, cum uterque in plurimis vitiis consensisse videatur. Fortasse quoque ex illis emendationibus et variis lectionibus, quas S. adscripsit, concludi potest, illum codicem, quo usus est, melioris notae fuisse quam Laur. Denique aut fallor, aut iam in illo conlato codice praeter scholia in margine complures recentiorum grammaticorum annotationes et coniecturae, de quibus antea diximus, sicut nonnullae variae lectiones aut addita aut omissa sigla γρ. adscriptae erant, quas omnes S., nullo iudicio adhibito, transcripsit, haud raro neglegenter, quod multa scribendi vitia a S. commissa aperte demonstrant.

3.

Quae in scholiis ipsis servatae sunt variae lectiones, quamquam maiore fruuntur auctoritate, quam illae, de quibus modo diximus, tamen ad Sophoclis verba emendanda maiorem utilitatem non afferunt. Publici enim exemplaris fabularum Sophoclis, quod Lycurgo auctore Athenis confectum est et postea Alexandriam venit, nulla in scholiis mentio facta est. Verum iam illo tempore, quo scholia nostra orta sunt, codices melioris et peioris notae exstitisse, apparet ex scholio ad O. C. v. 390 *ἐν τοῖς ἀναγκαιοτέροις τῶν ἀντιγράφων γρ.*, atque alteri scholiorum scriptori meliores codices non ad manum fuisse, demonstrat annotatio ad O. C. v. 1560 *ἐπιστῆσαι οὖν ἄξιον, λαβόντας καλὸν ἀντίγραφον.* Quare cum iam illud Lycurgi exemplar vitiis non liberum fuisse videatur [1]), facile intellegitur, quam de-

[1]) O. Korn: de publico Aeschyli Sophoclis Euripidis fabularum exemplari etc. Bonn 1863. p. 24.

pravati fuerint codices, quibus scholiastae usi sunt. Atque re vera permultos locos aperte corruptos grammatici illi eadem forma legerunt, qua nunc exstant in codice Laur. Attamen qui putaverit hanc ob causam nullam ex variis lectionibus in scholiis servatis fructum percipi posse, certissime falsus est.

Ut omnis scholiastarum doctrina ex veterum Alexandrinorum grammaticorum et Didymi commentariis hausta est, ita variae quoque lectiones, etsi non omnes, tamen plurimae eadem utuntur auctoritate, et quamquam paucis tantum locis hic fons disertis verbis laudatur [1]), tamen non dubium videri potest, quin illis quoque locis, ubi *τινὲς γϱ.* (Tr. v. 1275), *ἔνιοι δὲ γϱ.* (Tr. v. 791), *ὅσοι δὲ γϱ.* (Ant. v. 970), *οἱ μὲν — οἱ δὲ γϱ.* (Phil. v. 425), idem fons a scholiastis respiciatur. Num autem illa quoque scholia, in quibus varia quaedam lectio sola sigla *γϱ.* et addita interpretatione affertur, ex grammaticorum commentariis, an a scholiastis ex ipsis codicibus sumta sint, vix discerni potest. Uno tantum loco, quantum equidem scio, O. C. v. 390 et *ἀντιγϱάφων* et *ὑπομνηματισαμένων* auctoritate scholiasta utitur. Ambiguum quoque videri potest, num illis locis, ubi varia lectio cum sigla *γϱ.* et addita interpretatione legatur, sigla illa iam a scholiasta scripta sit, an a scholiorum excerptore vel eo, qui scholia conlegit, addita, postquam ille animadvertit in scholiis aliam explicari lectionem, quam quae in codice legatur. Certe ei, qui scholia conlegit, non scholiastae, debetur nota variae lectionis ad O. C. v. 134, quae in medio scholio legitur, *γϱ. οὐδὲν λιάζοντα,* nam quae addita est explicatio: *ἀντὶ τοῦ οὐκ ἐντϱεπόμενον ἃ πϱοσήκει* aperte ad veram in codice servatam lectionem pertinet (*οὐδὲν ἅζοντα*), et varia illa lectio, quae vel maxime metro refragatur, ex manifesto librarii errore orta est. Idem homo scholiastae annotationi ad Ant. v. 765 *ὡς μαίνῃ, φησὶ, παϱὰ τοῖς φίλοις κτλ.* praescripsit *γϱ. μαίνῃ;* eo enim tempore, quo ille scholia conlegit, vera scriptura, quam scho-

---

1) cf. El. vv. 102. 232. 451. 488.

liasta explicavit, iam errore librarii corrupta erat in μένεις et μαίνῃς, quod lemma, huic scholio additum, et Laur. demonstrant, atque cum epitomator [1]) in codicibus aliam inveniret lectionem, scholio γρ. μαίνῃ praescripsisse videtur. Eidem fortasse debetur varia lectio ad Tr. v. 673 [2]) γρ. δὲ καὶ μαθεῖν, quae haud dubie unice vera est, sed iam in Laur. a pr. m., quae primo λαβεῖν scripserat, legitur, cum in scholiis falsa παθεῖν explicetur. Neque puto me errare, si in scholio ad Ai. v. 50 siglam γρ. ad epitomatore ortam esse contendo; legitur enim l. a. γρ. καὶ διψῶσαν ad codicis verba καὶ μαιμῶσαν. Atque cognoverunt homines docti haec verba ex allato scholiastae exemplo, quod Athenaeus X. p. 433 F. servavit, corrupta esse, corruptum igitur exemplum pro varia lectione habuit epitomator. Facile quoque intellegitur, varias lectiones ad Phil. v. 1093 γρ. πτωμάδες, πτωκάδες, πτωχάδες, πρωτάδες, δρομάδες, partim ex scholiastae annotatione (ad v. 1092), partim ex codicibus excerptas esse. Ad eundem epitomatorem referenda videtur varia lectio ad Ai. v. 208 γρ. ἀημερίας ἀντὶ τῆς ἀηδοῦς φορᾶς, quae multis hominibus doctis fraudi fuit; Wolffius enim coniecit ex addita interpretatione corruptum esse ἀημερίας et legisse scholiastam ἀηδείας. Sed nulla adesse videtur varia lectio, nam haec altera explicatio ad eandem pertinet scripturam codicis, γρ. ἀημερίας autem praepositum est ab epitomatore, qui in codice aliquo invenit $\overset{η}{ἀ}$μερίας (cf. Wunderum) atque hoc pro varia habuit lectione.

Omnes autem varias lectiones, quas in commentariis aut in codicibus invenerunt scholiastae, explicare conati sunt, nullo discrimine facto, nullo suo adhibito iudicio. Rarissimi enim sunt loci, in quibus scholiastae uni alterive lectioni, quae illis praeferenda videbatur, suum iudicium apposuerunt. Ut de O. C. v. 390, loco iam saepius allato, taceam, huc

---

[1]) liceat mihi praeeunte Wolffio ita eum appellare, qui scholia conlegit.

[2]) apud Elmsleium in schol. ed. v. 675.

referenda videntur schol. ad Ai. v. 211 ἄμεινον γρ. ad O. C. v. 467 ὃ καὶ πιθανώτερον ad Phil. v. 425 οἱ μὲν γρ. μόνος παρ' ἱστορίαν κτλ. ad Trach. v. 7 ἡδεῖα δὲ ἡ φράσις καὶ ἡ ἱστορία, nisi hoc iudicium recentiori grammatico debetur, ita ut O. C. v. 195 ὃ καὶ βέλτιον. Raro quoque in interpretatione una cum grammaticorum annotationibus suum iudicium protulerunt, et ubi aliquid de suo addere videntur, semper fere utuntur numero plurali φαίνεται ἡμῖν et similia; singularem numerum me tantum his locis in scholiis legisse memini, ad O. C. v. 388 ἐβουλόμην, ad El. v. 42 δοκεῖ οὖν μοι, ad El. v. 706 ἐμοὶ δοκεῖ ὄνομα εἶναι.

Primum igitur eos afferam locos, ubi una tantum lectio eaque falsa in scholiis explicatur. Atque huc pertinet schol. ad Trach. v. 901 (903 ap. Elmsl.) γρ. κοινά, ἢ τὰ τοῦ θανάτου ἢ τὰ αὐτῆς καὶ τοῦ αὐτοῦ. Quam lectionem Wolffius veram esse contendit et probare studet, mihi autem non persuasit, nam quominus τὰ κοινὰ δέμνια lectum significare, in quo Deianira olim una cum Hercule quieverit, existimem, quam plurima obstant argumenta. Primum enim non intellegitur, quo consilio Hyllus illum lectum, neque aliam lecticam stragulis instraverit. Tum apparet, Hyllum ἐν αὔλαις fuisse. Accedit denique, quod Deianiram paullo post (v. 912) in thalamum ivisse ibique mortem sibi conscivisse constat. Quid? idem lectus modo ἐν αὔλαις, modo ἐν θαλάμῳ cogitandus est? nunc Hyllus eum in aula stragulis insternit, nunc Deianira in eodem lectulo in thalamo moritur? Certe perversius nihil excogitari potest. Scholiastam hoc iam ita explicasse nihil demonstrat, nam quae ineptiae a scholiastis non excogitatae sunt? Neque est, cur ex scholiasta salutem quaeramus, cum codicis scriptura κοῖλα δέμνια ab Hermanno ita explicata sit, ut in hac explicatione acquiescere possimus. Haud minus inepta est alia varia lectio scholiastaeque explicatio. El. v. 1438 sic in codice legitur: ὡς ἠπίως ἐννέπειν πρὸς ἄνδρα τόνδε συμφέροι, quae verba optimum praebent sensum, alia autem scholiasta usus est lectione; explicat enim verba ὡς νηπίῳ ἐννέπειν, atque ipsum verbum νηπίῳ cum γρ. annotationi praescriptum est, qua non

νηπίωι, sed νηπίως explicatur, cum in sequenti scholio verba: ὡς ἂν ἀνοήτῳ διαλεγόμενον lectionem, quam supra significavi: ὡς νηπίῳ sibi vindicent; utramque autem lectionem ineptam esse patet. Sed fuerunt quoque, qui in his verbis offenderent, quod alia ostendit annotatio, de qua postea dicendum est, veram autem scripturam in codice nobis servatam scholiastae cognitam non habuerunt. Eodem modo scholia falsam tantum lectionem continent, ubi nobis vera in codice servata est O. C. v. 1220, nam scholiastae legerunt: ἔπι κόρος, Laur. habet ἐπίκουρος; Ai. v. 1056 scholiasta: ἐλοιδόρει codex: ἕλοι δορί, de quibus locis iam antea dictum est.

Sed multo saepius et falsa et vera scriptura a scholiasta servata est atque ita, ut aut altera explicatione cognoscatur, altera cum γρ. afferatur, aut utraque lectio cum γρ. scripta exstet. Ita in scholio ad O. C. v. 15. verba: ὅ ἐστιν ὡς τυφλῷ σημῆναι πρόσω εἰσίν pertinent ad variam lectionem ὡς ἀνομμάτῳ, quae cum sigla γρ. huic scholio praecripta est, reliqua autem, quae in eodem scholio leguntur, spectant ad scripturam veram, quae etiam in codice exstat ὡς ἀπ' ὀμμάτων. In scholio ad Ant. v. 970. optime explicatur vera scriptura ἵν' ἀγχίπτολις Ἄρης, sed simul a scholiasta alia affertur nullius momenti scriptura: ὅν· ὅσοι δὲ γρ. ὃν Ἄρης περιττὸν λαμβάνουσι τὸ ὄνομα, et ad Ant. v. 1158. praeter glossas πίπτει, καταβάλλει, quas interpretes ad κατατρέπει pertinere arbitrati sunt, legitur γρ. δὲ καταρρέπει, ὃ ἔστιν πίπτειν ποιεῖ, quae lectio rectissima est, sed iam in codice exstat. Veram porro lectionem interpretatur scholiasta ad Trach. v. 791 (ap. Elmsl. 793) ἐνδατούμενος, sed pergit: ἔνιοι δὲ γρ. ἐμματούμενος, quam lectionem ex aperto scribendi errore ortam pro sua natura explicavit: ἀντὶ τοῦ μασώμενος. Ex simili scribendi vitio, non, ut Dindorfius putat, e coniectura orta est varia lectio ad v. 1035 (Elmsl. 1037) γρ. ἐχόλησεν, nam optime haec ex vera scriptura ἐχόλωσεν [1]), ad quam glossa ἐπίστωσεν pertinet,

---

1) Spengelii coniectura: ἐδόλωσεν summo iure refutata est a R. Engero. cf. Philol. XV. p. 122.

depravari potuit, neque ex addita explicatione: *οἷον χολῇ ἔχρισε τὸν χιτῶνα* demonstrari potest, hanc esse scholiastae coniecturam. Neque putaverim, e coniectura ortam esse variam lectionem ad v. 1183 (Elmsl. 1185) γρ. *προστήσῃς ἐμοί*, quae explicatur verbis: *ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἐν τῇ βρώσει ψωμῶν προσισταμένων*, nam verbum *ἐναντιωθήσῃ* glossam esse, quae ad alteram eamque veram scripturam spe ctet, Wolffius recte cognovit. Sed vix diiudicari potest, utrum ex coniectura an errore ortae sint variae lectiones ad difficillimum et corruptissimum Phil. v. 1093, ubi in altero scholio *δρομάδες* explicatur, in altero *πτωκάδες*, praeterea autem γρ. *πτωχάδες* commemoratur, quod fortasse coniecturae debetur. Ex scholiis igitur huic loco subveniri non potest, nam etiam scholiastae eum corruptum invenerunt. Non autem dubito, quin librarii errori tribuam γρ. *ἄψοφα*, quod ad Phil. v. 1111. in scholiis commemoratur et explicatur, sicut vera scriptura *ἄσκοπα*, quae est in codice. Maximi momenti quoque est varia lectio ad El. v. 451, nam Didymi [1]) fruitur auctoritate, dicit enim scholiasta praeter lectionem *ἀλιπαρῆ τρίχα*, quae nunc a plerisque hominibus doctis praefertur, scriptam fuisse *ἐν τῷ ὑπομνήματι* lectionem *λιπαρῆ*, cuius addit explicationem, atque haec lectio certissime habet, quo commendetur, tamen propter sequentia verba: *οὐ χλιδαῖς ἠσκημένον* mallem *ἀλιπαρῆ* scribi, ea significatione, ut sit: parum nitide habita. cf. Dindorf. ad h. l. Eandem auctoritatem prae se fert scholion ad v. 488, in quo ex Didymi commentario affertur varia lectio *πολύπαις*, ubi nostri libri habent *πολύπους*, quod unice verum esse per se patet. Non autem cum Dindorfio *πολύπαις* coniecturam esse putaverim, cum non veri simile sit Didymum, si vera lectio ei cognita fuisset, in tam ineptam incidisse coniecturam, verum ex contorta illa explicatione: *ἐπεὶ γάρ, φησίν, ἐν τῷ Ὀρέστῃ τὴν πᾶσαν ἐλπίδα ἔχουσι τὸ πολύπαις ἐν ὑπερβολῇ ἔθηκεν· ἡ πολλὰ κακὰ τίκτουσα* mihi sequi videtur, hanc in libris invenisse Didymum lectionem atque

[1]) cf. M. Schmidt, Didymi frgm. p. 272.

explicare studuisse. In scholio denique ad El. v. 1097. praeter veram scripturam ἄριστα alia quoque affertur ἐριστά, quae nullius momenti est, sed Wolffium [1]) commovit, ut coniceret scribendum esse: ἐπίστατα Ζηνὸς εὐσέβειαν, quam coniecturam accipiat, cui persuasit vir doctissimus.

His subiungi liceat scholion ad Trach. v. 105 γρ. ἅλιον ὄρνιν ἀλκυόνην ἢ ἀηδόνα, quod corruptum esse ex addita explicatione apparet. Conlato autem altero scholio ad v. 104. intellegitur, quomodo nostrum sit restituendum. Ibi duae exstant interpretationes, alter interpres legisse videtur: ἄθλιον ὄρνιν, alter explicat: τὴν ἀλκυόνα, φησίν, ἣ τίκτει ἐν ταῖς ὑφάλοις πέτραις, εἶτα τῶν ᾠῶν ἀφανιζομένων δακρύει. Ex hoc conlegi potest, scriptum fuisse nostrum scholion: γρ. ἅλιον ὄρνιν, ἀλκυόνα ἢ ἄθλιον ὄρνιν ἀηδόνα; quae verba facillime omitti potuerunt; atque patet alterum scholiastam non legisse ἄθλιον ὄρνιν, quae verba illius annotationi praescripta sunt, sed ἅλιον ὄρνιν, ita ut qui nostrum scripsit scholion. Facile autem intellegitur, lectionem ἅλιον ὄρνιν hoc loco falsam esse, ex aliquo librarii errore ortam.

Nonnullis autem locis lectiones, quae in scholiis a nostris libris discrepantes commemorantur, longe praeferendae sunt vulgatae scripturae, quorum primus est: O. C. v. 390; ubi in codice εὐνοίας χάριν legitur, sed a scholiasta annotatur ἐν τοῖς ἀναγκαιοτέροις τῶν ἀντιγράφων et in libris veterum criticorum legi εὐσοίας, quae exquisitior vox tam bonis auctoribus commendata, ab omnibus nunc praefertur editoribus. Non autem consentiunt homines docti de O. C. v. 467; ubi codex habet καὶ κατέστιψας πέδον, in scholiis vero tres afferuntur lectiones, quarum prima est κατέστειψας Atque hanc, quam interpretatur scholiasta verbis: καθικέτευσας· μετὰ ἱκετηρίων ἀφίκου, falsissimam esse patet ex nexu sententiarum, quod iam animadvertit homo criticus, qui coniecit scribendum esse: κατάστειψον atque hanc suam coniecturam interpretatus est: μεθ' ἱκετηρίων ἀφηγοῦ. Tertia

[1]) cf. edit. p. 131.

denique scriptura κατέστειψας [1]), quae κατεβάτευσας explicatur, ab ipso scholiasta ὃ καὶ πιθανώτερον scribente et plerisque editoribus praefertur. Aliter autem iudicavit Wunderus [2]) eumque, ut saepius, secutus est Dindorfius, qui genuinam putant fuisse scripturam κατάστειψον πέδον, quod ex Dindorfii sententia in κατεστείψας corruptum est. Sed primum non intellegitur, quomodo aliquis in imperativo haerens, scribere potuisset κατέστειψας formam rarissimam, quae Wundero quoque maximae offensioni fuit. Accedit, quod ea significatio, quam Wunderus in verbis κατάστειψον πέδον: „fer sacra in solium furiarum" inesse vult, vix exemplis confirmari potest. Multis verbis de καταστέφειν dixit Wunderus, sed mihi non prorsus persuasit. Ex omnibus enim, quos attulit vir doctissimus, locis mihi nihil aliud sequi videtur, nisi eam significationem, quam vetus grammaticus postulavit: „ramis oleagenis supplex venio" unice veram esse. Recte autem dicit Wunderus hanc sententiam huic loco non convenire, cum de ramis oleagenis nihil antea dictum sit. Ea autem generalis sententia sacra ferendi, quantum equidem scio, nunquam in verbo καταστέφειν latet; sed semper de certo aliquo genere sacrorum usurpatur, velut de illis, quae in honorem mortuorum fiunt. cf. Eurip. Phoen. v. 1626. et de certo genere supplicationis: Eurip. Herc. fur. v. 125. v. 226, quod etiam vetus grammaticus hoc loco statui voluit. Et cum denique κατάστειψον πέδον nihil aliud sit ex Wunderi sententia, nisi „fer sacra in solium", his verbis nihil novi affertur, nam haec sententia iam inest in verbis: θοῦ νῦν καθαρμὸν τῶνδε δαιμόνων. Ex his omnibus caussis multo verisimilior fit ea sententia, quod κατάστειψον coniectura sit grammatici in verbo κατέστειψας offendentis, neque puto cum Wundero haerendum esse in ἅπαξ εἰρημένῳ, κατέστειψας, quod sensui optime satisfacit.

Difficillimus atque a viris criticis multifariam vexatus est locus O. C. v. 1054; ubi cod. haec habet:

---

[1]) in scholiis scriptum est κατέστιψας, sed addita interpretatio luculentissime ostendit, κατέστειψας scribendum esse.

[2]) de schol. auct. p. 7—13.

ἔνθ' οἶμαι τὸν ἐγρεμάχαν
Θησέα καὶ τὰς διστόλους —.

In scholiis autem legitur: γρ. ὀρειοβάταν [1]) οἱονεὶ τὸν διὰ τῶν ὀρῶν βαίνοντα τῶν προειρημένων χωρίων, quae varia lectio certissime non eiusmodi est, ut possit ex altera scriptura ἐγρεμάχαν corrupta esse, quam Reissigii sententiam optime refutavit Hermannus. Quare factum est, ut modo hanc, modo illam lectionem praetulerint homines docti. Quid verum sit, difficile et diiudicatu; nam et antistrophici versus aperte sunt corrupti. Ingeniosissime enim invenit Hermannus v. 1069 verba: κατ' ἀμπυκτήρια φάλαρα πώλων ἄμβασις sic a Sophocle non scripta esse, cum apud Hesychium legatur ἀμπυκτήρια· τὰ φάλαρα, Σοφοκλῆς Οἰδίποδι ἐν Κολώνῳ, qua glossa docemur φάλαρα eiciendum esse, sed praeterea vir doctissimus pro κατά scribi voluit χαλῶσ' [2]) et pro πώλων: πωλικά. Has qui probandas esse putat coniecturas, etiam Hermanno assentietur scribenti in stropha:

ἔνθ' οἶμαι τὸν ὀρειβάταν
ἐγρεμάχαν τὰς διστόλους —.

Neque negari potest haec, quod ad metrum et ad sensum attinet, optime sese habere, cum et ὀρειβάταν excidere et Θησέα, adscripta glossa addita particula καί, in textum inrepere posset. Tamen in tanta codicis corruptela vix pro certo dici potest, haec unice a Sophocle scripta esse, omnium autem coniecturarum [3]), quibus homines critici ad hunc locum accesserunt, haec sola mihi digna videtur, quae recipiatur, donec melior afferatur.

Non tanta difficultate laborat Antig. v. 40: λύουσ' ἂν ἢ θάπτουσα, quae verba a scholiasta explicantur, sed idem adscripsit variam lectionem: εἰ δὲ γρ. ἢ 'φάπτουσα ἀντὶ τοῦ λύουσα τὸν νόμον ἢ βεβαιοῦσα αὐτόν, quae cur praeferenda

---

[1]) non ὀρειοβάταν, sed ὀρειβάταν scribendum videtur. cf. Phil. v. 955.

[2]) Meinekius scripsit: ὁρμᾶταί χαλᾷ τ' et Dindorfius κατὰ . . . . ἀμπυκτήρια, eiecto quoque verbo πώλων, lacunam statuens.

[3]) de Neuii coniectura ὀρειβάταν ex ὀρσιβόαν corruptum censentis, postea dicendum erit.

sit, facile intellegitur et ab interpretibus optime demonstratur. cf. Boeckhium et Wunderum ad h. l.

Ant. v. 231. in textu legitur:

τοιαῦθ' ἑλίσσων ἤνυτον σχολῇ βραδύς, scholiasta autem habet: *γρ. ταχύς, καίτοι ταχὺς ὢν βραδέως ἤνυον τὴν ὁδόν.* Hic igitur aperte legit *σοχλῇ ταχύς* et verbum *σχολῇ* explicavit per *βραδέως*. cf. schol. ad O. R. v. 434 *σχολῇ: βραδέως, οὐδαμῶς.* Quis autem putaverit, eum ex coniectura *ταχύς* scripsisse, cum verba *σχολῇ βραδύς* nullam praebeant offensionem? Neque potest *ταχύς* ex *βραδύς* corruptum esse. Cum igitur duae praesto sint lectiones, quaeritur, utra praeferenda sit. Atque rectissime mihi videtur Wolffius p. 97. contra Wunderum disputasse, qui *ταχύς* ineptam nominavit lectionem, quo in iudicio ei assentitur Dindorfius, cum Hermannus Nauckius aliique *ταχύς* praetulerint. Quorum hominum doctorum iudicium equidem probaverim, quia verba *ἤνυτον σχολῇ ταχύς* optime quadrant ad indolem custodis illius, cuius haec verba sunt, quem summa arte Sophocles hoc sermone depinxit. Atque sigla illa *γρ.* ab epitomatore addita esse videtur, sicut, ni fallor, etiam in scholio ad Ant. v. 326 (Elmsl. 325) *γρ. τὰ δειλὰ ἀντὶ τοῦ κακά. ἀπὸ τοῦ τοὺς δειλοὺς εἶναι ἀχρείους;* epitomator enim corruptam lectionem *δεινά*, quae in Laur. est, compertam habuit. Summo autem iure haec lectio in scholiis servata ab omnibus recepta est editoribus. Sed miror, Dindorfium Ant. v. 521. optimam lectionem scholiorum *κάτωθεν* non in textum recepisse, nam quod in codice legitur *κάτω 'στιν*, aperta est verae illius lectionis explicatio. Atque de hac lectione idem valet, quod modo de Ant. v. 325. dixi; qui autem scripsit scholion ad Trach. v. 7. iam novit falsam lectionem, quae in Laur. quoque est, *Νυμφίων ὄκνον*, sed addidit etiam veram: *εἰ δὲ γρ. — ὄτλον τὴν ταλαιπωρίαν κτλ.* Veram porro lectionem ingeniosissime indagavit Wunderus ex corrupto scholio ad Trach. v. 602; ubi codex habet: *τόνδε εὐυφῆ πέπλον*, in scholio autem legitur *γρ. δὲ ἀνφῆ ἀντὶ τοῦ λεπτοϋφῆ*, quod corruptum verbum *ἀνφῆ* Wunderus [1]), conlata

[1]) de schol. auct., p. 27.

Hesychii glossa *ταναΰφῆ: λεπτουφῆ*, in *ταναΰφῆ* mutavit, atque hoc videtur etiam scholiasta legisse, qui adscripsit explicationem *ἰσχνουργῆ*. Duas autem lectiones novit scholiasta ad Trach. v. 1275, qui postquam codicis scripturam *ἀπ' οἴκων* explicavit, pergit: *τινὲς δὲ γράφουσιν ἐπ' οἴκων· τούτεστι μηδὲν ὑμεῖς περιλείπεσθε ἐνταῦθα, ἀλλὰ ἀκολουθήσατε*, quae lectio nunc ab omnibus, ni fallor, editoribus recepta est.

Servavit etiam veram lectionem scholiasta in annotatione ad Phil. v. 954 *αὐανοῦμαι ἀντὶ τοῦ ξηρανθήσομαι*, cui postea siglam praescripsit epitomator, postquam in codicibus haec lectio in *αὖ θανοῦμαι* corrupta est, quam falsam scripturam nobis in Laur. servatam, disertis verbis agnoscit Suidas s. v. *ὀρειβάτης*. Sed, ni fallor, scholiasta cognitam habuit falsam quoque lectionem Phil. v. 1199, quae nunc in Laur. est *βρονταῖς αὐταῖς*. In scholio enim explicatur lectio nunc ab omnibus recepta *βροντᾶς αὐγαῖς* verbis *ταῖς βροντῶν αὐγαῖς, ταῖς κεραυνίαις; βροντᾶς* autem, neque, ut conici possit *βροντῶν*, legisse scholiastam, apparet ex hac eius annotatione: *ἔστι μέντοι λαβεῖν καὶ βροντᾶς ἀντὶ τοῦ βροντήσας κτλ.* In prioribus autem respexisse videtur scholiasta alteram lectionem *βρονταῖς αὐταῖς*, dicens, (ad v. 1197.) *τοῦτο γίγνωσκε, ὅτι οὐκ ἔρχομαι οὐτ' εἰ αὐτὸς ὁ Ζεὺς μετέλθοι με ταῖς βρονταῖς*, neque necessarium videtur cum Wolffio statui, eum qui haec scripserit, legisse *βρονταῖς αὐτός*, potuit enim, cum nihil nisi sensum totius enuntiati spectaret, optime *βρονταῖς αὐταῖς* ita, ut fecit, explicare. Aperte denique antiqua est lectio *ἀδίκως* El. v. 102, quae expulit meliorem scripturam *αἰκῶς*, quam servavit scholiasta [1]), *ἐν τισιν κεῖται ἀντὶ τοῦ ἀδίκως ἀεικῶς*, sed metri causa *αἰκῶς* scribendum est.

His igitur tredecim locis scholiis emendatio debetur. Sed prius quam hoc caput de variis lectionibus sigla *γρ.* notatis absolvamus, necesse est, quaeramus, quid de scholiastarum coniecturis dicendum sit. Si universum scholiorum

---

[1]) cf. Dindorfii Schol. ed. II. p. 118.

corpus perlustramus, non errabimus, scholiastam Didymi atque veterum Alexandrinorum grammaticorum vestigia accurate secutum esse, censentes, atque ita plerasque, quae in scholiis leguntur, coniecturas ad veteres grammaticos referre possumus. Sane praeter annotationes, quae vel optimum decent grammaticum, inveniuntur quoque in scholiis nostris multae ineptiae, sed cum sciamus veteres homines criticos in aliis recensendis scriptoribus talia non vitasse, ob hanc solam causam eiusmodi annotationes recentioribus grammaticis tribuere non debemus. Videmus autem ex scholiis nostris veteres grammaticos omne genus artis criticae in Sophoclis fabulis recensendis adhibuisse. Jam in praefatione dictum est de notis criticis, quorum usus latissime patet, nam et interpretationi et arti criticae inserviunt. Quivis singularis dicendi usus, repetitiones, versus, qui in proverbium abierunt, anachronismi signis, plerumque hoc χ, notabantur ab Aristarcho, vel alio homine critico. Non solum autem de interpretandis singulis verbis, sed etiam de scribendi et interpungendi ratione inter se dissenserunt grammatici. Saepe inter illos viros non convenit, utrum lenis an asper ponendus sit spiritus, aut quo accentu verbum aliquod scribendum sit, qua in dubitatione nonnunquam ineptos sese praestiterunt. Non enim dubitandum est, quin Ai. v. 98. scribendum sit: *ὥστ' οὔποτ' Αἴανθ' οἶδ' ἀτιμάσουσ' ἔτι*, grammatici autem dubitarunt, scholiasta auctore: *ἐὰν δασυνθῇ τὸ οι, ἔσται ἐπὶ τῶν Ἀτρειδῶν, ἐὰν δὲ ψιλὸν, τὸ οἶδα ἀντὶ τοῦ ἐπίσταμαι.* Ad Trach. v. 24. recte iudicat grammaticus, fortasse Didymus, *ἥμην, δασέως, ἵνα συνάδῃ τῷ: Ἀλλ' ὅστις ἦν θακῶν ἀταρβὴς τῆς θέας* (v. 23.), sed pergit: *οἱ δὲ ψιλῶς ἀντὶ τοῦ ὑπῆρχον.* cf. O. R. v. 402. et scholion. De casu dubitarunt, num primus an tertius sit schol. ad Ant. v. 528, de scribendi ratione ad Trach. v. 1169, de interpunctione ad Ant. v. 601. El. v. 878. Atque cum tam accurati essent in rebus minutissimis, fieri non potuit, quin interdum dubitarent, num recte singulae literae inter se ad unum verbum coniunctae essent, necne, atque suas de hac re proferrent coniecturas. Sic legitur in codice O. R. v. 906

φθίνοντα γὰρ Λαΐου θέσφατα, quod recte interpretatus est alter grammaticus verbis παλαιά, παρεληλυθότα, alter vero, haerens in hoc verbo, scribi voluit: φθίνων· τὰ γὰρ Λαΐου θέσφατα, quae coniectura, quamquam falsa est, tamen non dedecet virum criticum. Alia coniectura facta est a grammatico ad Ant. v. 454, qua non magnum ostendit ingenii acumen. In codice enim legitur: τὰ σὰ κηρύγμαθ᾽ ὥστ᾽ ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν νόμιμα atque idem veteres grammatici legerunt, fuerunt tamen, qui legi vellent ὡς τὰ γράπτα, ut scholion demonstrat: τινὲς φασὶ τὰ γράπτα· οὐ γὰρ ἄγραφοι τῶν θεῶν οἱ νόμοι. Non tam inepta, sed supervacanea est coniectura veteris grammatici, ad Ai. v. 211: ἐπεί σε λέχος δουριάλωτον στέρξας ἀνέχει θούριος Αἴας, putavit enim abundare praepositionem ἀνά, in quo iudicio haud dubie falsus est, et propterea scribi voluit: στέρξασαν ἔχει, quae coniectura in Laur. inrepsit.

Grammatici quoque coniecturae, sed verissimae, debetur lectio nunc ab omnibus recepta ad O. C. v. 1077 τᾶν δεινὰ τλασᾶν, δεινὰ δ᾽ εὑρουσᾶν — πάθη, nam in codice legitur: τὰν — τλᾶσαν — εὑροῦσαν, atque in scholiis explicatur, sed ibidem additum: δύναται δὲ καὶ ἑτέρα εἶναι ἡ προσῳδία, si hoc omnino coniecturam nominare licet, cum sciamus, accentus ab Alexandrinis grammaticis pro lubito positos esse.

Non autem semper tam tenaces sese ostenderunt veteres critici, saepius enim in coniecturis longius recedunt a codicum scriptura, quod demonstrat O. C. v. 467 γρ. κατάστεψον, de qua coniectura antea diximus; imprimis autem Ant. v. 646, ubi codex habet: τί τόνδ᾽ ἂν εἴποις ἄλλο πλὴν αὑτῷ πόνους φῦσαι, in scholiis autem legitur: γρ. πέδας· ἵν᾽ ᾖ ἐμπόδιον, δεσμούς, κώλυμα τοῦ πράττειν, ἃ βούλεται. Hanc lectionem genuinam esse, alteram, quae in textu est, glossema, Wunderus et Wolffius putant; quis autem πέδας per πόνους explicaverit? πέδη: εἶδος ἱππασίας καὶ περισκελίς· δεσμός habet Hesychius et scholiasta noster: ἐμπόδιον, δεσμούς et schol. ad Trach. v. 1057 (Elmsl. 1059) πέδη: ἐποχῇ, ἥττῃ. Quare multo verisimilius est, hanc esse

coniecturam, quod iam Wexius contenderat, aut a grammatico, cui *πόνους* displiceret, aut a viro critico, qui manco hoc loco usus exemplari, lacunam ita explere studuit, excogitatam. Atque illa ipsa ratio, qua hoc loco lectioni adnexa est explicatio, probat hanc sententiam. Quotiescumque enim in scholiis nostris explicatio formula *ἵν' ᾖ* lectioni additur, semper explicata vox grammatici est coniectura, quod probant schol. ad O. R. v. 906. Tr. v. 823. Phil. v. 854. Neque puto, me errare, si contendo hanc formulam *ἵν' ᾖ* in scholiis nostris semper ibi adhibitam esse, ubi aut coniectura aut nova aliqua constructio aut interpretatio affertur, qua sententia totius loci emendatur. Sic fere semper occurrit formula *λείπει· ἵν' ᾖ.* cf. schol. ad O. R. v. 151. Ant. v. 1152. Ai. v. 348. 886. Phil. 143. et Ai. v. 628. *ἄρχει γὰρ τοῦ λόγου τὸ οὐ· ἵν' ᾖ οὐκ αἴλινον*, quo loco grammaticus ex sequentibus negationem ad *αἴλινον* intellegendam esse putavit, Phil. v. 1165. *ὁ δὲ ἀλλὰ ἀντὶ τοῦ δέ· Γνῶθι δέ· ἵν' ᾖ οὕτως κτλ.* Aperte igitur scribi voluit *δέ* scholiasta. cf. Ant. v. 798, ubi novam affert constructionem; El. v. 19. mutatam interpunctionem, El. v. 878. Permulta alia afferre possem exempla, sed his iam satis superque eam, quam supra attuli, sententiam, mihi videor demonstrasse.

Patet autem coniecturae deberi variam lectionem, quae in scholio ad Trach. v. 434 affertur: *περισσὴ ἡ ἀπο ἢ γρ. παρστήτω· οἷον ὁ ἄνθρωπος στήτω παρελθὰν εἰς μέσον ὁ διελέγχων με*, de qua optime dixit Dindorfius in annotatione ad h. l. Atque haesit vetus grammaticus in Trach. v. 823 (Elmsl. 825) *τὰς παλαιφάτου προνοίας ὅτ' ἔλακεν*, et ut *ἔλακεν* haberet, quo referretur, scribi voluit *τὰς πάλαι Φοίβου*, hanc enim lectionem inesse in scholio, *γρ. παλαιφοίβου· ἵν' ᾖ τῆς πάλαι μαντευσαμένης, φοιβᾶσθαι γὰρ τὸ μαντεύεσθαι*, cognovit Hermannus. Didymi fortasse coniecturam agnoscere poteris in scholio ad Phil. v. 854: *ἄπορόν ἐστι καὶ τοῖς συνετοῖς συνιδεῖν τὸ πρακτέον· λείπει οὖν ὁ καί γρ. πυκνοῖς· ἵν' ᾖ ἐν πράγμασι πυκνοῖς συνιδεῖν τὸ πρακτέον ἄπορον.* Videmus ex hoc scholio, ita ut ex prioribus, iam veteres grammaticos in loco haesisse; alter enim gram-

maticus statuit, scribendum esse καὶ πυκινοῖς, dicens λείπει οὖν ὁ καί, alter vero hanc coniecturam vituperans scripsit γρ. πυκνοῖς [1]). Videtur statuisse, differentiam esse sententiae inter formas πυκνός et πυκινός, quae nulla est, atque putasse τὸν πυκινόν significare sapientem, τὰ πυκνά autem idem esse, quod τὰ πολλά. cf. Hesychii glossas: πυκινόν: συνετόν· συνεχῆ. πυκνά: συχνά· συνετά· πολλά. Πυκνοῖς igitur voluit dativum esse generis neutrius atque sensum habere: in multis enim rebus difficile est intellectu, quid faciendum sit. Quid de hac coniectura statuendum sit, patet [2]).

Non melioris notae Didymi est coniectura ad El. v. 233, si omnino hoc scholion ex illius commentario fluxit: ἀείνομος pro codicis scriptura ἀνάριθμος, de qua hodie non dubitatur. Nam sic scribendum esse pro corrupto ἀνάνομος ex addita interpretatione: οἷον ἀεὶ νεμομένη ἐν αὐτοῖς, optime intellexit Schneiderus. Offendit denique grammaticus in corrupto vocabulo νηπίῳ El. v. 1437; veram enim scripturam ἠπίως, quae est in Laur., grammaticus non cognovisse videtur; atque scribi voluit νήπιον, ut verborum constructio clarior fieret. cf. schol. ad v. 1439: ἢ πρὸς αἰτιατικὴν μετακτέον, πρὸς τὸν ἄνδρα συμφέροι τοῦτον, ὡς πρὸς νήπιον ἐννέπειν. Atque his locis illud, quod supra de scholiastarum coniecturis dixi, satis munitum esse puto.

Sed non tantum in interpretandis singulis verbis, sed etiam in constructione verborum saepissime haeserunt grammatici, quod probant annotationes, in quibus legitur λείπει τό vel λείπει ἡ; cum enim semper ex sua dicendi consue-

---

1) inter has annotationes ἢ inserendum est. cf. Trach. 434. Ai. 211.

2) Sed quamquam intellegitur, non posse τούτῳ ita explicari, ut scholiasta voluit, cum in prioribus versibus nulla mentio Ulixis facta sit, tamen recte mihi videtur grammaticus v. 854. per se intellexisse et εἰ cum prioribus coniunxisse, atque sensum, etsi concedo non optimum, tamen meliorem, quam interpretes nostri temporis in his verbis inesse putarunt, habebimus, scribentes: ἐξιδοῦ ὅπως πράξεις — οἶσθα γὰρ ὤν (cf. Dindorf. ad h. l.) αὐδῶμαι — εἰ ταύταν τούτων γνώμαν ἴσχεις· μάλα τοι κτλ.

tudine poetam explicare studerent, omnia quae ab illa consuetudine abhorrebant, in Sophoclis verbis notare soliti sunt. Plerumque autem haeserunt in exquisitiore et poetico dicendi genere, quod cum non perciperent, semper aliquid deesse arbitrati sunt; sic saepissime legitur in scholiis deesse praepositiones, cf. ad O. R. v. 151. ad Ai. v. 439. 686. Phil. v. 143. Ant. v. 128., sed alia quoque verba deesse putarunt, ut O. C. v. 250 *λείπει ἐκείνου;* ad Ant. v. 38 *λείπει γονέων;* Ai. v. 650 *λείπει τὸ ἔπη;* v. 954 *τὸ δὲ ἡμᾶς λείπει.* His omnibus locis, qui ex ingenti numero delecti sunt, re vera nihil deesse facillime apparet; uno tantum loco ad Ant. v. 600. Dindorfius putavit recte grammaticum iudicasse, qui dicit: *λείπει ἄρθρον τὸ ὅ, κτλ.* Huic autem sententiae alius haud dubie recentior contradicit, *ἐὰν στίξωμεν κἀτ' αὖ νιν, οὐδὲν λείπει τῷ λόγῳ.* Uter rectius iudicavit? Equidem Dindorfio assentior, *ὅ* in textum recipienti, nam non solum asyndeton offendit, sed etiam metra sibi non respondent, cui vitio recepto illo articulo mederi possumus. Aliam viam ingressus est Hermannus, qui ex scholiastae annotatione pro *τέτατο ἐτέτατο* scribi voluit, sed scholiastam ita legisse non ex hac annotatione sequitur, cum saepissime vulgares formas in interpretatione pro rarioribus substituat; eadem ratione refellere debemus Wexii sententiam, in strophico versu 589, pro *Θρῄσσαισιν* cum Triclinio *Θρῄσσαις* reponentis.

Relicum est, ut pauca dicam de obelo, quo spurios versus notare soliti sunt grammatici, quod ex Homericis scholiis et ex schol. ad O. C. v. 237 patet. Et quamquam praeter hunc locum illud *ἀθετήσεως* signum duobus tantum locis in nostris scholiis commemoratur, tamen verisimile est, alios quoque a veteribus criticis pro spuriis habitos esse, quorum notitiam scholia nobis non servarunt.

Eorum autem locorum, qui scholiasta auctore a viris criticis obelo signati erant, unus certissime genuinus est O. C. v. 237 sqq., atque hoc loco *ἀθέτησις* a grammatico post Didymi aetatem excogitata esse videtur, cum in illius commentariis nullum *ἀθετήσεως* signum scholiasta invenerit.

Ad Ant. autem v. 46. scholiasta adnotat: *Δίδυμος δὲ φησὶν ὑπὸ τῶν ὑπομνηματισαμένων τὸν ἑξῆς στίχον νενοθεῦσθαι*, atque hoc veteris grammatici, fortasse Aristarchi, iudicium omnes fere nostri temporis Sophoclis editores probarunt, eo haud dubie argumento commoti, quod hic versus stichomythiam, quae vocatur, quam maxime turbat [1]). Tertius locus, ubi in scholiis nostris *ἀθετήσεως* vestigia servata sunt, legitur in schol. ad Ai. v. 841: *ταῦτα νοθεύεσθαι φασὶν ὑποβληθέντα πρὸς σαφήνειαν τῶν λεγομένων*, atque recte iudicasse videtur Didymus, sive qui hanc coniecturam fecit grammaticus, nam tam multis [2]) vitiis laborant hi versus, ut vix a Sophocle scripti esse possint. Quaeritur autem, quot versus eiciendos esse putaverit vir criticus, num quattuor 839—842, an duos 841—842, hos plerique eiecerunt editores, illos, quantum equidem scio, tantum Dindorfius et Bergkius. Cum autem in scholiis nulla alia exstent vestigia, ex quibus de veteris grammatici sententia aliquid concludi possit, utrique in suas partes scholiastae auctoritatem sibi vindicare possunt.

---

[1]) Non autem omnes homines docti hoc versu deleto omnia bene se habere putarunt, atque Nauckius scribi voluit:

τὸν οὖν ἐμόν γε, τὸν σὸν ἢν σύ μὴ θέλῃς,

quam miram coniecturam rectissime mihi videntur refutasse Bonitzius et Engerus (Bonitz, Beiträge z. Erklärung d. Soph. II. Berichte der k. k. Acad. z. Wien. 1857. p. 358. Enger, Philol. XV. p. 121.) Aliam protulit coniecturam Dindorfius, scribens:

τὸν γ' οὖν ἀδελφὸν οὐ προδοῦσ' ἁλώσομαι,

haec verba optime a Sophocle scribi potuisse, nemo non concedet, scripta esse negabit, non enim intellegitur, quomodo ad haec verba interpolator: *ἐμὸν καὶ τὸν σὸν ἢν σὺ μὴ θέλῃς* et inter *οὐ* et *προδοῦσ'*: *γὰρ δή* addere potuerit.

[2]) cf. interpretes, imprimis Dindorfium. ad h. l.